
AESTHETICA

SCRIPSIT

ALEXAND. GOTTLIEB
BAVMGARTEN


PROF. PHILOSOPHIAE.



TRAIECTI CIS VIADRVM

IMPENS. IOANNIS CHRISTIANI KLEYB

CIƆIƆCCL.





PRAEFATIO.

Quum A. 1742. rogarer quaedam consilia dirigendarum facultatum inferiorum in cognoscendo vero, nouam per

acroaſin, exponere: more conſueto, definitiones demonſtrationeſque praecipuas dictabam in calamos audientium, reliqua liberiori ſermoni ſeruabam illuſtranda. Quae congeſſeram, tum quibuſdam aliis doctiſſimis viris, quorum in manus ſcripta peruenerant, tum praeſertim, viro celeberrimo, Georgio Friderico Meier, profeſſori Halenſium digniſſimo, ita placuerunt, vt in ea non ſolum per acroaſes in Fridriciana nouas commentaretur, ſed et ad ſcribendum eiuſdem argumenti librum animum

mum


mum appelleret. Duas operis vtiliſſimi partes iam vidi, in iiſque mea, non tam dexterrime verſa in linguam vernaculam, quam multis optimis rebus amplificata atqne exornata ſingulari cum iucunditate deprehendi. Quae dum amico ſuauiſſimo, lecturis eruditis, et mihi tacitus mecum gratulor, anno praeterlapſo generoſiſſimi nobiliſſimique commilitones me denuo conueniunt acroaſin aeſtheticam poſtulaturi. Honeſtiſſimo ſatiſſacturus deſiderio, memor, quantum ego quondam temporis fati-

gandis excipientium dextris impendere debuerim, quum dictarem, quorum antea mentionem inieci, mea tamen rogarer: prelo ea committere mecum constitui. Nunquam autem ita mihi mea, si qua sunt, arriserunt, vt ea curis secundis eximerem. Hinc et illa, quae octo ab hinc annis mente conceperam, nouis accessionibus emendationibusque, si possim, meliora reddere mens fuit. Quae per hanc hiemem absoluere scribendo licuit, nunc paruo, iusto tamen volumine, publici iuris sunto.

Reliquis

Reliquis exſequendis primum, quod nanciſcar, otium conſecrabo. Tunc forte plura praefari licebit. Nunc vnum eſt, quod gratus animus me monet publice teſtari, ſicut Werenfelſii Voſſiique ſcripta, in aliis, ita multum adiumenti mihi attuliſſe, quum meditarer iterum olim conſcripta, celeberrimi Geſneri theſaurum, quem ego ſane non linguae ſolum, ſed etiam rerum ad veram pulcritudinem facientium oppido diuitem expertus ſum. Quaecunque meam hanc, et reliquas curas ob-

eundi muneris, quod acceptum fero ſanctae prouidentiae, fortuna maneat, bonis viris, qui haec iudicabunt, mihi certe ſatis erit, protuliſſe me quaedam, quorum meditationes meis, non ſolum pulcriores, ſed etiam meliores, et ingenia colere, et prodeſſe non parum moribus poſſint. Scribebam Traiecti cis Viadrum a. d. 26. Mart. cIↄcIↄccL.



SYNOP-





SYNOPSIS.

a) topica, S.X. §.130-141.
b) argumenta locupletantia, S.XI. §.142-148.
β) perſonae, S.XII.§.149-157.
γ) vſus vtriuſque cum breuitate
1) abſoluta ſemper, S.XIII. §. 158-166.
2) relatiua aliquando, S. XIIII. §. 167-176.
c) magnitudo aeſthetica.
א) generatim, S. XV. §. 177-190.
ב) ſpeciatim.
α) materiae.
𝔄) abſoluta, S. XVI. §. 191-201.
𝔅) relatiua, S. XVII. §. 202-216.
ℭ) ratio cogitat. ad materias.
a) generatim, S. XVIII. §. 217-229.
b) ſpeciatim in genere cogitandi.
1) tenui, S. XVIIII. §. 230-265.
2) medio, S. XX. §. 266-280.
3) ſublimi, cuius.
I) na-

I) natura, S. XXI. §. 281 - 309.

II) vitia oppoſita, S. XXII. §. 310-328.

𝔇) argumenta augentia, S. XXIII. §. 329 - 351.

β) perſonae, grauitas et magnanimitas aeſthetica

𝔄) abſoluta, S. XXIIII. §. 352 - 363.

𝔅) comparatiua meditaturi

a) tenuia et media, S. XXV. §. 364 - 393.

b) ſublimia, S. XXVI. §. 394 - 422.

d) veritas aeſthetica.

א) generatim, S. XXVII. §. 423-444.

ב) ſpeciatim

α) falſitas oppoſita, S. XXVIII. §. 445 - 477.

β) veriſimilitudo.

𝔄) generatim, S. XXVIIII. § 478-504.

𝔅) ſpeciatim in

a) fictionibus

I) hiſto-

I) historicis, S. XXX. §. 505-510.

II) poëticis, S. XXXI. §. 511-525.

b) fabulis, S. XXXII. §. 526-538.

γ) argumenta probantia, S. XXXIII. §. 539-554.

δ) studium veritatis aestheticum

A) absolutum, S. XXXIIII. §. 555-565.

B) comparatiuum

a) in dogmaticis et historicis S. XXXV. §. 566-584.

b) poëticum, S. XXXVI. §. 588-613.

e) lux aesthetica

f) certitudo aesthetica

g) vita cognitionis aesthetica.


2) Methodologia, C. II.

3) Semiotica, C. III.

II) Aesthetica practica P. II.




PRO-



PROLEGOMENA.

§. 1.



AESTHETICA (theoria liberalium artium, gnoseologia inferior, ars pulcre cogitandi, ars analogi rationis,) est scientia cognitionis sensitiuae.

§. 2.

Naturalis facultatum cognoscitiuarum inferiorum gradus solo vsu citra disciplinalem culturam auctus AESTHETICA NATVRALIS dici potest, et distingui, sicuti logica naturalis solet, in connatam, ingenium pulcrum connatum, et acquisitam, et haec denuo, in docentem et vtentem.

§. 3.

Ad naturalem accedentis artificialis aesthetices, §. 1. vsus inter alios maior erit 1) sci-

entiis intellectu potissimum cognoscendis bonam materiam parare 2) scientifice cognita captui quorumuis accommodare, 3) cognitionis emendationem etiam extra distincte cognoscendorum a nobis pomoeria proferre, 4) bona principia studiis omnibus mansuetioribus artibusque liberalibus subministrare, 5) in vita communi, caetera si paria fuerint, in agendis rebus omnibus praestare.

§. 4.

Hinc vsus speciales, 1) philologicus, 2) hermeneuticus, 3) exegeticus, 4) rhetoricus, 5) homileticus, 6) poeticus, 7) musicus, e. c.

§. 5.

Obiici posset nostrae scientiae §. 1. 1) eam nimis late patere, quam vt vno libello, vna acroasi possit exhauriri. Rsp. concedendo. Sed praestat aliquid nihilo, 2) eam eandem esse cum rhetorica et pöetica. Resp. a) latius patet, b) complectitur his cum aliis artibus, ac inter se communia, quibus heic loco conuenienti, semel perspectis quaelibet ars sine tautologiis inutilibus suum fundum felicius colat. 3) Eandem esse cum critica. Rsp. a) est etiam critica logica, b) quaedam critices species est pars aesthetices, c) huic praenotio quaedam aesthetices reliquae paene necessaria est, nisi velit in diiudicandis pulcre

cre cogitatis, dictis, ſcriptis diſputare de meris guſtibus.

§. 6.

Obiici poſſet noſtrae ſcientiae 4) indigna philoſophis et infra horizontem eorum eſſe poſita ſenſitiua, phantaſmata, fabulas, affectuum perturbationes, e. c. Rſp. a) Philoſophus homo eſt inter homines, neque bene tantam humanae cognitionis partem alienam a ſe putat, b) confunditur theoria pulcre cogitatorum generalis et praxis ac exſequutio ſingularis.

§. 7.

Obi. 5) confuſio mater erroris. Rſp. a) ſed conditio, ſine qua non, inueniendae veritatis, vbi natura non facit ſaltum ex obſcuritate in diſtinctionem. Ex nocte per auroram meridies. b) Ideo curanda eſt confuſio, ne inde errores, quot et quanti penes incurios, c) non commendatur confuſio, ſed cognitio emendatur, quatenus illi neceſſario admixtum eſt aliquid confuſionis.

§. 8.

Obi. 6) Cognitio diſtincta praeſtat. Rſp. a) Apud finitum ſpiritum tantum in grauioribus, b) vnius poſitio non eſt alterius excluſio, c) ideo ſecundum regulas diſtincte cognitas directum imus pulcre cognoſcenda

primum, ex quibus eo perfectior aliquando surgat distinctio, §. 3, 7.

§. 9.

Obi. 7) Per cultum analogi rationis, verendum est, ne quid detrimenti capiat rationis et soliditatis territorium. Rsp. a) hoc argumentum est in plus probantibus, quia idem periculum est, quotiescunque perfectio composita quaeritur, ad cautionem incitans, non neglectum verae perfectionis suadens. b) Incultum et corruptius analogon rationis non minus officit rationi seueriorique soliditati.

§. 10.

Obi. 8) Aesthetica ars est, non scientia. Rsp. a) Hi non sunt oppositi habitus. Quot olim artes tantum iam sunt simul scientiae? b) nostram artem demonstrari posse, probabit experientia, patet a priori, quia psychologia e. c. suppeditant certa principia, mereri eandem, vt eleuetur in scientiam, docent vsus, in aliis, §. 3, 4. commemorati.

§. 11.

Obi. 9) Aesthetici nascuntur, non fiunt, vti poetae. Rsp. Hor. A. Poet. v. 408. Cic. de Or. l. II. c. 60. Bilfinger in dilucidd. §. 268. Breitinger von Gleichnissen p. 6. Aestheticum natum iuuat theoria completior, rationis auctoritate commen-

men-

mendabilior, exactior, minus confusa, certior, minus trepida. §. 3.

§. 12.

Obi. 10) Facultates inferiores, caro, debellandae potius sunt, quam excitandae et confirmandae. Rsp. a) Imperium in facultates inferiores poscitur, non tyrannis. b) Ad hoc, quatenus naturaliter impetrari potest, manu quasi ducet aesthetica. c) Facultates inferiores non, quatenus corruptae sunt, excitandae confirmandaeque sunt aestheticis, sed iisdem dirigendae, ne sinistris exercitiis magis corrumpantur, aut pigro vitandi abusus praetextu tollatur vsus concessi diuinitus talenti.

§. 13.

Aesthetica nostra §. 1. sicuti logica, soror eius natu maior, est I) THEORETICA, docens, generalis, P. I. praecipiens 1) de rebus et cogitandis HEVRISTICE. C. I. 2) de lucido ordine, METHODOLOGIA C. II. 3) de signis pulcre cogitatorum et dispositorum, SEMIOTICA, C. III. II) PRACTICA, vtens, specialis. P. II. Vtrimque

cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Hor. E.

Res sit prima tibi, sit *lucidus ordo* secunda,
Signaque postremo tertia cura loco.



PARS I.

AESTHETICA THEORETICA.



CAPVT I.

HEVRISTICA.



SECTIO I.

PVLCRITVDO COGNITIONIS.

§. 14.

Aesthetices finis est perfectio cognitionis sensitiuae, qua talis, §. 1. Haec autem est pulcritudo, Metaphysic. §. 521, 662. et cauenda eiusdem, qua talis, imperfectio, §. 1. Haec autem est deformitas, Metaphysic. §. 521, 662.

§. 15.

Perfectiones cognitionis sensitiuae adeo reconditas, vt vel omnino nobis obscurae maneant, vel non nisi intelligendo possimus eas intueri, non curat aestheticus, qua talis. §. 14.

§. 16.

§. 16.

Imperfectiones cognitionis sensitiuae adeo reconditas, vt vel omnino nobis obscurae maneant, vel non nisi iudicio intellectuali possint detegi, non curat aestheticus, qua talis, §. 14.

§. 17.

COGNITIO SENSITIVA est a potiori desumta denominatione complexus repraesentationum infra distinctionem subsistentium. Huius exsistentis si vel solam pulcritudinem ac elegantiam, deformitatemue solam, §. 15, 16. simul vellemus intelligendo nunc circumspicere, sicut intuetur aliquando saporis eruditi spectator, venerum macularumue genericarum per diuersas suas classes, specificarum, numericarumue mole velut obruta fatisceret distinctio scientiae necessaria, §. 1. Hinc primum lustremus PVLCRITVDINEM, omni paene sensitiuae cognitioni pulcrae quatenus communis est, VNIVERSALEM et catholicam cum eius opposito, §. 14.

§. 18.

Pulcritudo cognitionis sensitiuae erit vniuersalis, §. 14. 1) consensus cogitationum, quatenus adhuc ab earum ordine et signis abstrahimus, inter se ad vnum, qui phaenomenon sit, §. 14. Metaphysic. §. 662. PVL-

CRITVDO RERVM ET COGITATIONVM, distinguenda a pulcritudine cognitionis, cuius prima et primaria pars est, §. 13. et pulcritudine obiectorum et materiae, quacum ob receptum rei significatum saepe, sed male confunditur. Possunt turpia pulcre cogitari, vt talia, et pulcriora turpiter.

§. 19.

Pulcritudo cognitionis sensitiuae vniversalis, §. 14. quia nulla perfectio sine ordine, Metaphys. §. 95. 2) consensus ordinis est, quo res pulcre cogitatas meditemur, et internus, et cum rebus, phaenomenon, §. 14. PVLCRITVDO ORDINIS et dispositionis.

§. 20.

Pulcritudo cognitionis sensitiuae vniversalis est, §. 14. quia signata non percipimus sine signis, Met. §. 619. 3) consensus signorum internus, et cum ordine, et cum rebus, phaenomenon, PVLCRITVDO SIGNIFICATIONIS, qualis dictio et eloquutio, quando signum est oratio s. sermo, et simul actio, quando sermo viua voce habetur. Habes tres cognitionis gratias catholicas. §. 18, 19.

§. 21.

Totidem esse possunt, cauendaeque sunt deformitates, vitia, maculae cognitionis sensitiuae, vel in cogitationibus et rebus, §. 18, vel

vel in coniunctione plurium cogitatorum, §. 19. vel in significatione, §. 20. M. §. 121. quo numerauimus ordine, §. 13.

§. 22.

Vbertas, magnitudo, veritas, claritas, certitudo, et vita cognitionis, quatenus consentiunt in vna perceptione, et inter se, e. g. vbertas et magnitudo ad claritatem, veritas et claritas ad certitudinem, omnes reliquae ad vitam, quatenus varia cognitionis alia, §. 18-20, consentiunt ad easdem, dant omnis cognitionis perfectionem, M. §. 669. 94. phaenomena sensitiuae pulcritudinem, §. 14. vniuersalem, §. 17. praesertim rerum et cogitationum, §. 18. in quibus iuuat

Copia, nobilitas, veri lux certa mouentis.

§. 23.

Angustiae, vilitas, falsitas, M. §. 551. obscuritas imperspicua, dubia fluctuatio, M. §. 531. inertia, M. §. 669. sunt omnis cognitionis imperfectiones, M. §. 94. phaenomena sensitiuam deformant, §. 14. generatim, §. 17. praecipua rerum et cogitationum vitia, §. 21.

§. 24.

Pulcritudo cognitionis sensituiae, §. 14. et ipsa rerum elegantia, §. 18. sunt perfectiones compositae, §. 18-20, 22. etiam vniuersales, §. 17. M. §. 96. Quod et hinc patet,

quod nulla perfectio simplex nobis sit phaenomenon. M. §. 444. Hinc admittunt exceptiones admodum multas, non habendas in vitiis, etiamsi fiant phaenomena, modo maximum, qui locum habet, consensum phaenomenon non tollant, hinc sint, quae possunt, paucissimae minimae. M. §. 445.

§. 25.

Quibus positis ponitur pulcritudo, si dicamus ELEGANTIA, EXCEPTIONES, quales §. 24. descripsimus, quando e. g. regula pulcritudinis debilior cedit fortiori, minus foecunda foecundiori, propior vlteriori, cui subordinatur, e. c. M. 446. erunt NON INELEGANTES. Hinc in regulis pulcritudinis in cognoscendo constituendis bene simul earundem robur attenditur, M. 180.

§. 26.

Perceptio quatenus est ratio, est ARGVMENTVM. Sunt ergo argumenta locupletantia, nobilitantia, probantia, illustrantia, persuadentia, mouentia, §. 22. quorum aesthetica non solum poscit vim et efficaciam M. §. 515. sed etiam elegantiam, §. 25. Pars cognitionis, in qua peculiaris detegitur elegantia, est FIGVRA, (schema.) Sunt ergo figurae 1) rerum et cogitationum §. 18. SENTENTIAE, 2) ordinis, §. 19. 3) significationis, quo figurae dictionis, §. 20. Figurarum

rum ſententiae tot, quot argumentorum, ſunt genera.

§. 27.

Pulcritudo cognitionis, §. 14. quum ſit effectus pulcre cogitantis huius viribus viuis nec maior, nec nobilior, M. §. 331, 332. ante omnia delineemus aliquam geneſin et ideam pulcre cogitaturi, CHARACTEREM FELICIS AESTHETICI, enumerationem eorum, quae in anima naturaliter pulcrae cognitionis cauſſae propiores ſunt. Ob rationes autem §. 17. allatas ſubſiſtamus nunc in generali ac veluti CATHOLICO charactere, qualem omnis generis pulcre cogitata requirunt, non deſcendentes in SPECIALEM aliquem, complementum generalis ad datam certam determinatae ſpeciei pulcram cognitionem actu praeſtandam.



SECTIO II.

AESTHETICA NATVRALIS.

§. 28.

Ad characterem felicis aeſthetici generalem, ſupponendo generaliora, §. 27. requiritur. I. AESTHETICA NATVRALIS CONNATA, §. 2. (φυσις, natura, ευφυια, αρχετυπα ϛοιχεια γενεσεως,) diſpoſitio naturalis

lis animae totius ad pulcre cogitandum, quacum nascitur.

§. 29.

Adnaturam, de qua §. 28. 1) INGENIVM VENVSTVM ET ELEGANS CONNATVM, ingenium latius dictum connatum cuius facultates inferiores facilius excitentur et ad elegantiam cognitionis apta proportione conspirent.

§. 30.

Ad ingenium venustum, de quo §. 29. A) facultates cognoscitiuae inferiores, earumque dispositiones naturales, a) acute sentiendi, M. §. 540. non solum, ut anima nanciscatur primam pulcre cogitandi materiam sensibus externis, sed etiam vt sensu interno, intimaque conscientia, M. §. 535. mutationes et effectus reliquarum suarum facultatum possit experiri directura. Vt facultas sentiendi conspiret olim reliquis, tanta sit ingenio venusto, quae non semper et vbique, suis sensationibus quibuscumque, quascunque sit oppressura cogitationes heterogeneas. §. 29.

§. 31.

b) Dispositio naturalis ad imaginandum, §. 30. qua ingenium venustum sit ευφαντασιωτον, quia 1) saepe praeterita pulcre cogitanda sunt 2) praesentia saepe praetereunt ante,

ante, quam absoluatur pulcra eorundem cogitatio, 3) non ex solis praesentibus, sed et praeteritis, futura cognoscuntur. Vt conspiret imaginatio reliquis aliquando facultatibus, tanta sit in ingenio venusto, quae non semper et vbique suis phantasmatibus obscuret reliquas perceptiones omnes naturaliter debiliores singulas singulis imaginationibus. §. 29. Ad phantasiam si referatur facultas fingendi, vti saepe apud veteres, duplex eius est in ingenio venusto maioris necessitas.

§. 32.

c) Dispositio naturalis ad perspicaciam, §. 30. M. §. 573. qua suggerenda per sensum et phantasiam e. c. §. 30, 31. acumine et ingenio quasi poliantur. Per has facultates et pulcritudo cognitionis, quatenus proportiones phaenomena poscit, et disproportiones phaenomena non admittit, et ipsa pulcra ingenii latius dicti proportio praestanda est. §. 29. M. 572. Hinc quoniam acumen sub ingenii nomine non raro simul delitescit, omnis pulcra cognitio nonnunquam ingenio adscribitur. Vt tamen et perspicacia probe conspiret aliquando cum reliquis animi facultatibus tanta sit, quae non nisi satis sibi praeparatam in materiam feratur, §. 29.

§. 33.

d) Dispositio naturalis ad recognoscendum et memoria, M. §. 579. Mnemosyne musarum

musarum mater veteribus dicebatur ad memoriam imaginationis etiam reproductionem referentibus, §. 31. Neque tamen ipsa recognoscendi facultate supersedere potest pulcre e. g. narraturus, immo fingentem, ne antecedentia turpiter sequentibus repugnent, oportet esse memorem.

§. 34.

e) Dispositio poëtica, M. §. 589, quae tanta requiritur, vt excellentiori practicorum aestheticorum classi nomen poetarum conciliauerit. Nec mirabitur psychologus perpendens, quanta pulcrae meditationis portio combinando praescindendoque phantasmata formanda sit. Vt cum reliquis tamen facultatibus probe conspiret, tanta sit, quae mundum a se quasi creatum non subtrahat reliquarum e. g. perspicaciae, §. 31. politionibus. §. 29.

§. 35.

f) Dispositio ad saporem non publicum, immo delicatum, M. §. 608, qui cum perspicacia, §. 31 sensorum, phantasmatum, fictionum e. c. iudex inferior sit, M. §. 607. quotiescunque diiudicari singula per intellectum, M. §. 641. non interest pulcritudinis. §. 15.

§. 36.

g) Dispositio ad praeuidendum, M. §. 595. et praesagiendum, M. §. 610. Quam obser-

obſeruantes veteres in ingeniis pulcrioribus, quanta non eſt in multis, extraordinariam, veluti prodigium quoddam ac miraculum, diuinis adſcribebant. Vnde poetae denuo vates. Neque tamen haec, in medio poſita tranſeundo, requirenda tantum eſt ad neſcio quae oracula aeſthetica; quoniam ad omnem cognitionis vitam, primariam pulcritudinem, requiritur. §. 22. M. §. 665. Vt conſpirare tandem cum aliis haec facultas et diſpoſitio diuinatrix poſſit, §. 29. M. §. 616. tanta ſit, quae ſuo loco ac tempore nec ſenſationi, multo minus imaginationi cedat heterogeneae, §. 30, 31.

§. 37.

h) Diſpoſitio ad ſignificandas perceptiones ſuas M. §. 619. nunc magis, nunc minus neceſſaria, prout character pulcre tantum cogitantis, intra animam, vel efferentis etiam pulcre cogitata ſimul attenditur. Neque tamen in priori poteſt omnino deeſſe, §. 20. Vt conſentiat aliquando cum reliquis non ſit tanta, quae pulcritudini neceſſarium intuitum ſupprimat: §. 35. M. §. 620.

§. 38.

Ad ingenium venuſtum, de quo §. 29. B.) facultates cognoſcitiuae ſuperiores, M. §. 624. quatenus a) intellectus et ratio per imperium animae in ſemet ipſam multum non raro conferunt, ad excitandas facultates

infe-

inferiores, M. §. 730. b) consensus harum et apta pulcritudini proportio saepe non nisi per intellectus et rationis vsum obtinetur, §. 29. c) magnae viuiditatis in analogo rationis consectarium spiritui naturale est PVLCRITVDO intellectus, M. §. 637. et RATIONIS, perspicientiae nexus extensiue distinctae.

§. 39.

Ingenium venustum naturaliter dispositum est, vt aliquando, non a statu suo praeterito solum, quicquid memoria regerat, sed ab ipsis sensationibus externis abstrahendo, fictum aliquem statum, vt futurum, attendat, eundem, vt bonum, vel malum, perspicaciter intueatur, et signis conuenientibus ob oculos ponere possit, sub intellectus et rationis imperio, §. 30-38.

§. 40.

Vel per iocum, vel per grauem errorem, excludit sanos Helicone Democritus, §. 39. M. 594. et ineptior est, M. §. 639. bona pars, quae pretium ac nomen hominis venusti nancisci sperat,

Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. Hor.

§. 41.

Maiores facultates inferiores, eaeque naturaliter tales, requiruntur in pulcre cogitaturo,

turo, §. 29. Hae vero non ſolum eſſe ſimul cum ſuperioribus naturaliter magnis poſſunt, M. §. 649. ſed ad eas etiam, vt conditio, ſine qua non, requiruntur. M. §. 637. Hinc eſt opinio praeiudicata; natura repugnare pulcritudinem ingenii ſeuerioribus intelligendi ratiocinandique dotibus, quatenus a natura connaſcuntur acceptae.

§. 42.

Poteſt eſſe ingenium pulcrum, quod intellectus et rationis vſum male neglexit, poteſt eſſe ingenium philoſophicum et mathematicum non ſatis inſtructum ab ornamentis analogi rationis. Si poteſt eſſe ingenium vel mediocriter venuſtum ad ſcientias tamen ſolidiores ineptum ipſa natura: non tamen eſſe poteſt ingenium iſtis concipiendis natum, omni venuſtati cognitionis, vti naſcitur, inhabile. M. §. 649. 247.

§. 43.

Ingenia potius ſuperiora ac vniuerſalia per omnes aetates, Orpheus et philoſophiae poeticae ſtatores, Socrates, ειρων dictus, Plato, Ariſtoteles, Grotius, Carteſius, Leibnitius docent a poſteriori bene conuenire, ac in vna ſede, non nimis anguſta, morari poſſe diſpoſitionem ad pulcre ſolideque cogitandum, etiam ex ſeueriori diſciplina philoſophorum ac mathematicorum.

§. 44.

Ad aestheticum natum, §. 28. requiritur 2) indoles dignam et mouentem cognitionem pronius sequutura, facultatumque appetitiuarum ea proportio, qua in pulcram cognitionem facilius feratur, S. TEMPERAMENTVM AESTHETICVM CONNATVM, M. §. 732.

§. 45.

Quum omnis homo feratur in omne genus appetibilium, quatenus ipsi cognitum est, e. c. M. §. 665. locemus eorum aliqua circiter, vti aestheticum decet, §. 15. secundum dignitatis ordinem: Pecunia, opes, labor, otium comparatiuum, deliciae externae, libertas, honor, amicitia, vigor et valetudo corporis firma, virtutum vmbrae, cognitio pulcra cum suo corollario virtute amabili, cognitio superior cum suo corollario virtute veneranda. Licebit ergo temperamentis aestheticis tribuere MAGNITVDINEM aliquam PECTORIS CONNATAM, instinctum in magna potissimum, praesertim apud attendentes, quam facilis inde transitus sit ad maxima. §. 38, 41.

§. 46.

Secundum tritam temperamentorum doctrinam melancholicum solet commendari non satis discernentibus pulcras meditationes

pro-

prolixiores a breuioribus et absoluendis satis cito. His sanguineus, qui dicitur, illis melancholicus aptior erit. Quoniam autem malunt esse cholerici,

Quos tulit ad scenam ventoso gloria curru,
Magnum opus aggressis eadem det gloria vires.

* *

SECTIO III.

EXERCITATIO AESTHETICA.

§. 47.

Ad characterem felicis aesthetici requiritur II.) Ἄσκησις et EXERCITATIO AESTHETICA, crebrior repetitio actionum in hoc homogenearum, vt sit aliquis ingenii ac indolis, §. 28 - 46. descriptorum consensus in datum thema, s. ne quis ab Orbiliis data themata cogitet, in vnum cogitandum, in rem vnam, §. 18. vt habitus pulcre cogitandi sensim acquiratur, M. §. 577.

§. 48.

Natura, de qua S. II. non potest vel per breuius tempus, in eodem gradu subsistere. M. §. 550. hinc nisi continuis exercitus augeantur eius vel dispositiones vel habitus, §. 47. decrescit, quantacunque ponatur, nonnihil ac torpescit, M. §. 650. Neque tamen exercitia tantum commendo facultatum, de qui-

bus S. II. ſed aeſthetica, §. 47. Sunt EXERCITIA naturam ſatis pulcram corrumpentia ac DETVRPANTIA, vitanda phaenomena, §. 16. apud ingenia actiua et ſemper agentia aliquid, non felicius, quam meliorum commendabili ſubſtitutione, M. §. 698.

§. 49.

Aliquem iam conſenſum in ipſis exercitiis aeſtheticis, et iis quidem omnibus poſco, §. 47. Alias non ſunt effectus pulcrae naturae, hinc nec eius vim augent, §. 47. M. §. 139. Sed tantum aliquem. Palaria non poſcunt milites, quantos pugna. Concedo, quaedam naturam ſatis pulcram nonnihil ſimul corrumpentia aeſtheticus, §. 16. Concedo etiam deturpantia nonnihil, §. 48., modo magis conſentiant, ac diſſentiunt, a potiori quae dicamus aeſthetica, §. 47. Concedo tandem, quorum maior eſt deformitas pulcritudine, modo comitetur ea conſcientia, §. 35. turpitudinis ſuperponderantis, per quam non, ſi male nunc, et olim ſic erit, M. §. 666.

§. 50.

Non ingenii ſolum, ſed huius ac indolis, de quibus S. II. §. 49. aliquem conſenſum poſtulo in exercitiis aeſtheticis, §. 47. Colatur ingenium mortuis ac inertibus exercitiis, Ethic. §. 403. neglecta prorſus indole, vel omnino corrupta, depreſſaque, e. g. in paſſionem

nem dominantem, praeualentemque cupidinem hypocriſeos, ferociae athleticae, ſodalitii nepotum, ambitionis, licentiae, bacchanalium, deſidiae, pigritiae, curarum oeconomicarum, vel omnino pecuniae, §. 46. vbique pellucens pectoris exilis vilitas, quicquid venuſte cogitatum videatur, deturpabit, §. 48.

§. 51.

Erecta ſeruetur, vti videbitur, aut erigatur, ſi quibus aliter modis fieri poteſt, indoles, M. §. 732. ingenio, de quo S. II. rudi relicto, Ethic. §. 403. naſcentur inde forte, quas §. 45. dixi, virtutum vmbrae; ſed partim pellucens vbique ruditas ingenii motus, quos bonos dixeris, boni cordis, vti loqui ſolent, deturpabit, §. 48. partim auerſatus ſaltim cognitionem pulcram animus, aut eam non ſufficienter appetens, ingenium, malis auibus, eo ſinet torpeſcere, non inuitus, §. 48. vnde nunquam ad pulcre quid cognoſcendum alleuari denuo poſſit. §. 27.

§. 52.

Exercitia aeſthetica, §. 47. erunt 1) *αυτοσχεδιασματα* citra directionem artis eruditae, qua polleat exercendus, ſuſcepta. Huc horridus ille numerus Saturnius, quo priſcus Caſcorum agricola, fortis et leuans animum feſto tempore, §. 50.

Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit. Hor.

Huc generis humani omnia ante artes eruditas inuentas pulcrae cognitionis ſpecimina, huc cuiusuis pulcrioris naturae primi igniculi omnem artem anteuertentes, quando e. g. ſicut Ouidius de ſe memorat,

Quicquid tentabit dicere, verſus erit.

§. 53.

In aeſtheticis etiam egregie caueamus, ne ingenium rude ac ineruditum pro iisdem habeamus. Ethic. §. 405. Homeri ſane, ac Pindari, e. c. ſane non rude fuit

Ingenium, non incultum, non turpiter hirtum, Hor.

archetypa tamen artium eruditarum potius fuere, quam ectypa. Poteſt ineruditus eſſe ingenii, etiam aeſthetici, §. 29. admodum politi, §. 52. Ethic. §. 403. ſicut eruditus ingenii, qua pulcritudinem ſpectat, ſatis rudis, §. 42.

§. 54.

Sicuti muſicam Leibnitius dixit exercitium arithmeticum, numerare ſe neſcientis animae: ſic etiam per exſpectationem caſuum ſimilium, et inde veluti connatam imitationem primam, neſcius adhuc paene ſe cogitare, multo magis ſe pulcre cogitare, iam exer-

exercetur infans, bona fortuna ſi quis educandus incidit in manum artificis, qui os tenerum pueri figurat, ac balbum. §. 37.

Torquet ab obſcaenis iam nunc ſermonibus aurem,
Mox etiam pectus praeceptis format amicis, §. 50, 45.
Recte facta refert. §. 31, 32, 35. *orientia tempora,* §. 36. *notis* §. 30.
Inſtruit exemplis, §. 32. e. c. Hor. L. II. ep. 1. v. 126.

§. 55.

Exercetur ingenium natura pulcrum porro, iamque ſemet ipſum exercet apertius, §. 54., etiamſi neſciat, quid agat, dum confabulatur puer, dum ludit, praeſertim vbi ludorum inuentor eſt, aut paruulus director inter commilitones, iisque gnauiter intentus iam ſudat, et multa fert, multa facit, dum videt, dum audit, dum legit, quae pulcre intelligat, modo dirigantur talia omnia ſecundum §. 49-51. vt aeſthetica ſint exercitia, §. 47.

§. 56.

Fallimur adulti etiam non raro, quando legendo vel audiendo pulcre dicta, vel ſcripta, e. c. pulcre ea intelligimus, eorumque pulcritudinem intuemur et quaſi guſtamus §. 35, vt auctori quidem: *pulcre! bene! recte,* taciti intra nos acclamemus, neque tamen

nos cum ipſo ſimul imitando pulcre cogitare ſatis animaduertamus. Hinc exercitium aeſtheticum maius eſt, ac plerumque videtur, §. 54., exemplaria bellisſimorum auctorum

Nocturna verſare manu, verſare diurna. §. 54.

Graiis (Gallis) *ingenium, graiis* (gallis) *dedit ore rotundo.*
Muſa loqui, praeter laudem nullius auaris. Hor.

§. 57.

Per ſe patet maiora iam exercitia maiores vires et dare et teſtari *αυτοσχεδιασματα ευρισικα*, quae proprio Marte fundit animus *αυτοματως*, quando iam ſine cortice natare vel doctus §. 54-56. vel natus eſt, §. 53.

§. 58.

Exercitia aeſthetica erunt 2) correctiora ac certiora, ſi acceſſerit ad connatam S. II. et acquiſitam aeſtheticam naturalem, dominam naturam, §. 2. ars erudita, §. 47-57. ſine qua ingenia pulcra quidem, neque tamen diuina, viam ad elegantias cognitionis ſaepe experiantur,

Quale per incertam lunam, ſub luce maligna,
Eſt iter in ſiluis, vbi caelum condidit vmbra
Iuppiter, et rebus nox abſtulit atra colorem. Virg.

§. 59.

§. 59.

Vtrumque genus exercitiorum, §. 52, 58. quotiescunque pulcram cognitionem exercendus efficienter decernit, non ingenium solum, sed et indolem et temperamentum aestheticum in habitum deducit et consuetudine confirmat, §. 45. intendens connatam pectoris magnitudinem. §. 46. M. 247.

§. 60.

AESTHETICA DYNAMICA s. critica virium dati hominis ad datam datae cognitionis pulcritudinem assequendam, connatas naturae vires metiri nequit, nisi ex effectibus, exercitiis, §. 27. vbi iuste sic concluditur: Tantum est αυτοσχεδιασμα, tantum specimen dati hominis; Ergo tanta etiam eius est connata natura, quae accedentibus praeuiis exercitiis eo pertingere potuerit. M. §. 57. Neque tamen aeque bene saepius infertur: Ad tantum αυτοσχεδιασμα, vel specimen vires dati hominis, vti nunc sunt, non suffecere, Ergo destituitur connascenda ad meditationes eiusmodi natura, M. §. 60.

§. 61.

Aesthetico dynamico saepe opus erit TENTAMINIBVS (periculis) AESTHETICIS, exercitiis ideo, inter alia, decretis, vt experiatur, an vires dati hominis, et

 quan-

quantae ad datam pulcram cognitionem sufficiant, M. §. 697. Tunc si bene procedunt tentamina, experientia affirmatiua vires suffecisse satis recte se habet, §. 60., si minus procedant, non semper naturae defectus est in caussa, multo minus a defectu cuiusdam specialis forte characteris aesthetici ad datum periculum requisiti, ad defectum generalis etiam, aliorumue forte specialium valet consequentia. §. 27. Ciceronis pericula poetica, Ouidii ac Horatii pericula epopoeiae non bene successerunt.



SECTIO IIII.

DISCIPLINA AESTHETICA.

§. 62.

Ad characterem felicis aesthetici generalem, §. 27. requiritur III.) Μάθησις et DISCIPLINA AESTHETICA, theoria perfectior in materiam et formam pulcrae cognitionis propius influentium, ac ea per naturam solam, et solum eius vsum impetrari solet, seuerioribus iam exercitiis in vsum deducenda, ne vagetur habitus ex rerum cogitandarum, vel ex regularum earumque rationum ignorantia vel incertitudine, cogitetue licenter, aut omnes visuros peccata sua putans,

tans, quae tamen ipſe neſciat, ab ipſo pulcrae meditationis vſu deterreatur, §. 47, 48.

§. 63.

Ad diſciplinam aeſtheticam pertinet 1) omnis PVLCRA ERVDITIO, i. e. eruditio, quatenus obiectorum, de quibus pulcre cogitandum aliquando ſit, cognitionem inerudita meliorem exhibet, qua imbutum ingenium naturaliter pulcrum, exercitationibusque quotidianis excitatum, qua motum, qua affectum, et incoctum, vti Perſius habet, pectus aeſtheticum, felicius in datum thema pulcre cogitandum conſentire poſſint, §. 62, 47.

§. 64.

Pulcrae eruditionis potiores partes ſunt diſciplinae, deum, vniuerſum, hominem, qua ſtatum praeſertim moralem, hiſtorias, nec excluſis quidem mythicis, et antiquitates, ſignorumque genium exhibentes, §. 63.

§. 65.

In diſciplinarum eiusmodi doctrina aeſtheticus tantum eam curat perfectionem, quae fiat in pulcre meditandis phaenomenon, §. 14, 15. partim negatiue, dum dat vitare παροραματα deturpantia, partim poſitiue, dum vnica ſaepe phraſi vel ſigno ſatis breui cogit eruditum lectorem ſpectatoremue magna

gna quaeuis ab auctore tantae doctrinae exspectare, licet dissimulet erudita plura per exceptionem non inelegantem, §. 48, 25.

§. 66.

Huc non referimus pueriles quasuis institutiones, §. 54. non tumultuariam in disciplinis tractandorum notitiam, vsu, vaga lectione, auditionibusque promiscuis comparatam, de qua S. III. sed methodicam et virilem eorundem peritiam, quantumcunque perfectam, quoniam illa magis, sed et eatenus tantum, quatenus magis efficit §. 65. commemorata.

§. 67.

Neque tamen aestheticum polyhistora postulamus vel pansophum, quoniam character generalis tantum eruditionem generatim postulat, in ea pulcrae cognitionis specie, in qua quis excellere cogitat, character specialis partes eo propius facientes eruditionis curatius determinabit, in quibus hospitem esse dedecet, hanc cognitionis pulcrae speciem qui sibi colendam sumserit, §. 27.

§. 68.

Ad disciplinam aestheticam pertinet 2) theoria de forma pulcrae cognitionis, de modo ac ratione legitimis eam viis comparandi, perfectior, ac per naturam solam et solum

ſolum eius vſum impetrari ſolet, iam accuratioribus et adſtrictioribus exercitiis in vſum deducenda. §. 62. Jam autem complexus regularum ordine diſpoſitarum ARS vocari ſolet. Hinc in charactere boni aeſthetici generali naſcitur requiſitum ARTIS AESTHETICAE.

§. 69.

In characteribus felicis aeſthetici ſpecialibus, e. g. oratoris, poëtae, muſici e. c. dudum deſideriis huius requiſiti ſatisfactum eſt arte rhetorica, poetica, muſica, e. c. Quicquid de earum iucunditate, vtilitate, neceſſitate diſſeri ſolet, paullulum attollendo notiones in magis generalia poteſt ad artem aeſtheticam applicari, cuius haec praedicata tam late patent, ac laudes reliquarum ſimul ſumtarum, §. 68.

§. 70.

Jam ſumere licebit artem hoc praeſtantiorem eſſe 1) quo patentiores regulas complectitur, i. e. quarum applicatio pluribus in occaſionibus vtilis, immo neceſſaria eſt, quo completior ipſa eſt, regularum ſufficientium breue tamen compendium, 2) quo fortiores et grauiores regulas exhibet, i. e. quas nunquam ſine maiori detrimento negligas, 3) quo exactiores eas exponit, et accuratiores, 4) quo magis perſpicuas, 5) quo certiores et ex veris principiis, animabus regularum, deriuatas,

tas,

tas, 6) quo magis allicientes ad dirigendas ex ſuis praeſcriptis actiones et ipſam praxin, §. 22.

§. 71.

Artis autem aeſthaeticae leges per omnes artes liberales, quaſi cynoſura quaedam ſpecialium, diffunduntur, et adhuc patentiorem ſphaeram habent, vbicunque praeſtat pulcre, quam turpiter, quicquam cognoſcere, cuius non opus eſt cognitione ſcientifica. Hinc magis, ac vlla ſpecialium, §. 69., meretur in formam artis redigi, completius quoddam ſyſtema pulcritudinis in cognoſcendo tandem exhibitura, ac ſeiuncta deducendarum ex eadem artium αποσπασματια. Completi quid in ſpecialibus ob infinitam varietatem ſperari non poteſt, niſi ſurgendo ad fontes et pulcritudinis et cognitionis, ad vtriusque naturam, primas vtriusque diuiſiones diuiſa ob principium excluſi tertii inter duo contradictoria exhaurientes ſcrutemur, quod fiet artem aeſtheticam in formam ſcientiae redigendo, §. 70.

§. 72.

Superior regula ſemper fortior eſt ſibi ſubordinatis omnibus. Hinc artis aeſtheticae leges fortiores ſunt inde deriuandis ſpecialium artium regulis omnibus, ab his exceptione non ineleganti facienda, quando colliduntur. Jam autem his ſolis cognitis aliter eue-

eueniet, aut etiam illis vix ac ne vix quidem, veluti in fundo, aut e longinquo, perſpectis, his autem in omni ornatu exemplorumque apparatu praeſtringentibus oculos, non ſine grauiori detrimento. Hinc complexus legum aeſtheticarum, prae ſpecialioribus ſuis conſectariis, meretur in formam artis redigi, quae ſimul earundem robur ſatis euidenter ponat ob oculos, in formam ſcientiae redacta. §. 70.

§. 73.

Falſa regula ſemper peior, quam nulla. Jam autem ex vno alteroue exemplo tantum abſtractae, ac ſine vlteriori ratione pro vniuerſalibus venditae leges, quid aliud ſunt, quam a particulari ad vniuerſale ſatis hiulca conſequentia? Quoties hinc, niſi omnino falſae, tamen peccant in quantitate? Jam autem inductio completa nunquam haberi poteſt. Hinc opus eſt perſpicientia veritatis regularum grauiorum a priori, quam dein confirmet ac illuſtret experientia, ſicut illius inueniendae forte primum fuit ſubſidium. Indigent hinc artes ſpeciales, ſi veras a ſpuriis regulis ſeiungere ſit animus, vlteriori principio, ex quo ſpeciales ſuas regulas cognoſcere poſſint, et hoc, ars aeſthetica, ne per eandem male fidam expectationem caſuum ſimilium vnice ſtabiliendum ſit, vt in formam ſcientiae redigatur. §. 70.

§. 74.

§. 74.

Quum intellectus et ratio moraliter necessario directores omnium pulcre cogitatorum, esse debeant, §. 39. illud autem regulis pulcre cogitandi distincte non perceptis fieri nequeat; M. §. 624, 640. non sufficit has perspicue proponi, ac multis illustrari, praesertim quum talis earum confusa cognitio iam sine disciplina per aestheticam naturalem acquisitam impetrari possit, §. 62. Ne ergo tota disciplina aesthetices artis in meram aliquam coordinationem ac dispositionem regularum ab analogo rationis analogon rationis vnice directuro formatarum abeat, §. 68. distincte regulas etiam et intellectuali cum perspicuitate concipere laborat vtiliter in formam scientiae simul eleuata. §. 70.

§. 75.

Quod olim Leibnitius de metaphysicis ante restaurationem eorundem per ipsum coeptam: *Video plures, qui mathematicis doctrinis delectantur, a metaphysicis abhorrere, quod in illis lucem in his tenebras animaduertant. Cuius rei potissimam caussam arbitror esse, quod notiones generales, et quae maxime nobis notae creduntur, humana negligentia atque inconstantia cogitandi ambiguae atque obscurae sunt factae, et quae vulgo afferuntur, definitiones, ne nominales quidem sunt, adeo nihil explicant. Acta er. Lips. A. 1694.* idem de disciplinis artium

tium liberalium ob ſimilem cauſſam affirmauerim. De diſciplinis, inquam, et regularum coaceruationibus. Exſequutionem enim pulcerrimorum operum quanquam docti indoctique paſſim, ſi ſapiunt, admirari coguntur vel inuiti, ſequuntur etiam et laudant plurimi: tamen ſeuerioris etiam ſcientiae patroni plerique doctrinas eiusmodi ſpecioſa miracula directuras cum plebe conſentiendo contemnunt,

Ingenium miſera quia fortunatius arte
Credunt.

Quid autem? ſi curatis ex definitionibus, et vere explicantibus aliquid pulcri atque venuſti per apte cohaerentem axiomatum, conſectariorumque concatenationem reſoluerentur, prima certe, cognoſcendi, non bene ſolum, ſed et belle problemata? Quid? ſi non ars ſolum, characterem pulcri ingenii generalem ingreſſa ſiſteretur, ſed etiam induta ſcientiae pallium? Certius et tutius ad eius regulam, non Lesbiam, ornatum cogitationis poſtulantia tum exſequeremur, tum diiudicaremus, §. 70.

§. 76.

Neque vanus augur arbitror fore, ſi praedixerim, quod aliquibus exemplis iam expertus ſcribo, per eandem ſe viam non paucis ingeniis, non paruis, erectioribusque animis commendatura bona liberalium ſtudia, vt

non puerilia tantum, ſed et viris, iisque ſapientibus, digna, ſicuti ſint, videantur, eoque moueant, vt vel ipſi audeant aliquid noui et egregii in aeſtheticis exercitiis vel ſaltim de artibus eo ducentibus moderatius, aequius, honorificentius iudicent, de applicationibus earundem, vti iudices, bene ſatis inſtructi, magisque competentes. §. 70.

§. 77.

Iterum moneo. Ille ego non ſum qui aeſthetica ſcientia, quaſi numeris omnibus abſolutum, mihi vel aliis fingam ingenium generatim venuſtum, vel omnino ſpeciatim laudabilem oratorem, poëtam, muſicum e. c. Jam poſtulaui, ante theoriam eiusmodi, naturam, ingenium, indolem, exercitia, culturam iugenii nunc ſine aliqua eruditione vix ſatis impetrandam, regularum pulcre cogitandi peritiam, quam vnice probaui vere praeſtare, ſi ſit prima ſaltim et primaria ſua ex parte ſcientia. Nunc denuo poſtulo correctiora ac certiora illa exercitia, de quibus §. 58. in quibus nulla dies ſine linea, ſine quibus mortuas ipſe ſpeculatiuasque, quas vocant, regulas, vtiles quidem, quibus tamen non vtaris, nunquam edico profuturas, eo, quo maxime debent. Nec ita multa poſt plura poſtulabo. Poſtulabit recte adhuc plura ſpecialem felicis aeſthetici characterem informaturus. §. 27.

SECTIO



SECTIO V.

IMPETVS AESTHETICVS.

§. 78.

Ad characterem felicis aesthetici generalem §. 27 requiritur IV. IMPETVS AESTHETICVS (pulcra mentis incitatio, inflammatioque, ορμη, ecstasis, furor, ενθουσιασμος, πνευμα θεου), cuius haec est genesis: Excitatior natura, S. II. iam in ipsis αυτοσχεδιασμασι, S. III. magis adiuta doctrinis ingenium acuentibus et magnam animam nutrientibus, S. IIII. pro positu corporis, animaeque statu antecedente, M §. 512, 596. fauentibus circumstantiis, M. §. 323. iam ad ipsum pulcre cogitandi actum facultates suas inferiores, habitus, vires, huc vsque mortuas, M. §. 220, eo intendit, vt maiores consensu phaenomeno viuant, quam quas multi alii circa idem thema, vel ipse homo, non ita concitus alio tempore, possent exhibere, atque adeo dent effectus his suis viribus viuis aequales, viribus ordinariis maiores, et ad eas se circiter habentes, vti quadratum ad radicem. Status animae, cuius genesin descripsi, est ipsa illa ορμη, cuius antea dixi varias pro graduum diuersitate denominationes.

§. 79.

In minoribus huius feruoris gradibus, effectus vi mentis ordinaria maior, vt talis, non patet omnibus, si vere tamen adfuerit ορμη, eueniet tentanti, dum friget,

Vt sibi quiuis
Speret idem, sudet multum frustraque laboret
Ausus idem. Hor.

Character eius apud ipsum iustum sui aestimatorem, eo non nunquam corripiendum, erit, 1) si e. g. scripta sua, dum scribit, et immediate post conceptionem ipsi minus placeant, ac post aliquid temporis heterogeneis occupationibus insumti: 2) ipsa maior celeritas, character etiam virium viuarum in physicis.

§. 80.

Psychologis patet in tali impetu totam quidem animam vires suas intendere, maxime tamen facultates inferiores, ita, vt omnis quasi fundus animae, M. §. 511. surgat nonnihil altius, et maius aliquid spiret, pronusque suppeditet, quorum obliti, quae non experti, quae praeuidere non posse nobis ipsis, multo magis aliis, videbamur. Hic animae fundus quum a multis adhuc ignoretur, etiam philosophis, effectus eius extraordinarius, quem §. 78. descripsimus, diis adscriptus est auctoribus, secundum illud Lucretii:

Ignorantia caussarum conferre deorum

Cogit

Cogit ad imperium res, et concedere regnum, vt
Quorum operum caussas nulla ratione videre
Possunt, haec fieri diuino numine rentur.

§. 81.

Lustremus aliquas incitationis eiusmodi opportunitates pro positu corporis aut aucupandas, aut saltim oblatas arripiendas, in quibus *aut nunc, aut nunquam.* Eo refero 1) motionem agitationemque corporis, praesertim non nihil melancholici, e. g. per equitationem celeriorem. §. 46. Hinc forte pegasus hippocrenen recludens, hinc tot in itineribus carmina scripta. *Mirum est, vt animus agitatione motuque corporis excitetur.* Plin. L. I. ep. 6.

§. 82.

2) Occasio impetus ad venuste cogitandum est, status animae, in quo praeuisio praesagiumque naturaliter faciliores sunt, M. §. 602, ad eleganter cogitanda praesertim necessariae vires, ordinario maxime debiles, §. 39. M. §. 597, et mens sana in corpore sano, E. §. 254, per venustum alterius ingenium ad imitationem inclinatur, §. 56, 44. Hac ratione excitatus φοιβοληπτος est. Ita, circa criticas huius vitae vicissitudines, instante magna mutatione, plurimum habitura momenti; *poscere fata*

Tempus erit. Deus, ecce, deus! §. 80.

83.

3) Hiſtoriae (Clio), etiam fictae, praeſertim heroicae, (Calliope), vel triſtioris (Melpomene), vel laetioris euentùs (Thalia), muſicae, (Terpſichore) ſaltationes, (Erato) picturae, (Polyhymnia) et quaeuis liberalium artium ſpecimina, dum ad aemulandum prouocant, ipſa natura extra nos poſitorum, dum vel amabiliter ludit, vel maioribus mundi e. g. ſolis, ſpectaculis in ſtuporem rapit. (Vranie), §. 82. Hac ratione concitatus *μουσοληπτος και μουσοπατακτος* eſt. Hinc Muſae non minus, ac Gratiae, ſociae ſunt, neque bene diuelluntur. Vna florente e. g. circa tempora Alexandri M. Auguſti, Ludouici XIIII. floruerunt etiam aliae.

§. 84.

4) Otium comparatiuum, E. §. 267. M. §. 638. quando mens curis ſoluta laborum negotiorumque reponit onus et per amoena §. 83. ambulacra temere errans, §. 81. ſerena patet in ſeceſſu diuinis afflatibus, §. 80. Hoc forſan eſt in Helicone paſcere, ſomniare in Parnaſſo. *O! dulce otium honeſtumque, ac paene omni negotio pulcrius! o! mare! o! littus! verum ſecretumque μουσειον! quam multa inuenitis! quam multa dictatis!* Plin. L. I. ep. 9.

§. 85.

5) Si pulcre cogitaturo requiritur ſtatus,

qualem

qualem §. 39. deſcripſi, praeſertim in ſenſationibus themati ſatis heterogeneis conſtituto, aquae potori, pro poſitu corporis, §. 78. opportunus erit generoſioris laticis modicus hauſtus, quo remittentibus nonnihil ſenſationibus e. g. moleſtis clareſcere neceſſariae e. g. hilares imaginationes et praeuiſiones eo magis poſſint. M. §. 554. Hunc autem ſatis multis eſſe fontibus hiſtorici naturae narrant. Pone talem vim in Aganippe fuiſſe.

§. 86.

6) Fontanae eiusmodi praeferent vinum §. 85. cum Horatio iudicantes

Nulla placere diu neque viuere carmina poſſe,
Quae ſcribuntur aquae potoribus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu, §. 83.
Mouit et ad certos neſcia membra modos,
§. 81.
Bacchus et agricolae magno confecta labore
Pectora triſtitiae diſſoluenda dedit. §. 84, 52.
Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulſa ſonent.
§ 85. Tib.

Hinc et Bacchus incitationis inflammationisque aeſtheticae auctor eſt. §. 80. licet illepide fallatur, qui fictam Horatii od. L. II. 19. III. 25. ebrietatem bona ac germana fide, ceu veram, imitaturus, tamdiu libat Apollini ac Muſis, Bacchoque litat, donec iam iamque promturus oracula

Sternitur, exanimisque tremens procumbit
humi--. Virg.

§. 87.

7) Noua occasio est castis aestheticis, qui sedentes aduersus, identidem, nescio quam, spectant et audiunt dulce ridentem. Misere quod omnes eripit sensus ipsis. Nam simul suam Lesbiam adspiciunt, nihil est super illis.

Lingua sed torpet, tenuis sub artus
Flamma dimanat, sonitu suopte
Tintinant aures, gemina teguntur
Lumina nocte. Cat.

Quando autem absentis angiportum perambularunt, §. 81. clausam ianuam fenestrasque vacuas salutantes, subito se in montes et lucos ex vrbe remouen , §. 84. ibique suum naturae miraculum procul vident dulce ridens, dulce loquens audiunt, fingunt, scribunt, canunt, psallunt, pingunt. Silua interpres harum curarum et conscia sidera, §. 83. ne sperare quidem ausos esse, quae praeuident summa cum voluptate perinuiti, §. 82. Certe Venus ac Amor horum potius caussa habentur auctores incitationis, de qua loquimur, §. 78, quam ob prostibulorum praecones,

Quando immunda crepant ignominiosaque,
§. 54, 59.

§. 88.

§. 88.

Veriores forſan, ac dii ſunt, §. 80, occaſiones erunt, 8.) ſi quem

Deciſis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris et fundi paupertas impulit audax,
Vt verſus faceret,

ſicut Horatium, qui de ſe pergit per iocum narrare, quod bene multi ſerio veriſſimum putant;

Quod non deſit, habentem,
Quae poterunt vnquam ſatis expurgare cicutae,
Ni melius dormire putem, quam ſcribere verſus?

§. 89.

9) Indignatio

Archilochum proprio rabies armauit iambo. Hor.

Horatius eandem occaſionem ſibi praeſagit, Serm. L. II. 1. v. 40 - 60. Juuenalis eam ſtatim ab initio ſpirat:

Semper ego auditor tantum nunquam ne reponam
Vexatus toties rauci Theſeide Codri? e. c.
Difficile eſt ſaturam non ſcribere. Nam quis iniquae
Tam patiens vrbis, tam ferreus, vt teneat ſe? e. c.
Quid referam, quanta ſiccum iecur ardeat ira? e. c.
Haec ego non credam Venuſina digna lucerna.

Haec ego non agitem?
Si natura negat, facit indignatio verſum
Qualemcunque poteſt, quales ego. Sat. I.

Ita pergit in reliquis. Ex eodem fonte Demoſthenis et Ciceronis Philippicae, huius Verrinae et Catilinariae, Ouidii Ibis, e. c.

§. 90.

Satis cognata indignationi eſt 10) irriſio, M. §. 684. Horatio tamen magis amica, ac indignatio, minus amara, plusque ſalis, quam fellis habens. Hinc αυτοσχεδιασματα, de quibus §. 52, militumque currus triumphales ſtipantium. Hinc vetus

Comoedia non ſine multa
Laude, ſed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi. Hor.

Hinc Ariſtophanes, hinc Lucianus paene omnis, et plura Martialis epigrammata.

§. 91.

11.) Omnes animi commotiones, quae tantae non ſunt, vt omnem ſymbolicam paene cognitionem intuitus opprimat, quando de pulcre non cogitandis tantum, ſed et efferendis loquimur, 12) omnes fortunae caſus triſtiores, niſi frangant, laetiores, niſi obtundant et diſtrahant omnino animum. §. 82. Plus tamen elegantiarum ſiniſtris auctorum fatis debemus, quam admodum ridentibus.

§. 92.

§. 92.

13. Agmen claudat in catalogo facile locupletando iuuentus, s. potius illa huius vitae periodus, qua nondum ακμην suam eo vsque transiit anima, vt imaginationes etiam insigniter decreuerint. Sicut enim facultates cognoscitiuae inferiores primae fiunt in eadem phaenomena, ita et eodem, quo creuerunt, ordine minuuntur naturaliter. Vnde duabus iam potiorem pulcre cogitandi materiem suppeditaturis, §. 30, 31. languescentibus transiisse iudicatur eleganter cogitandi princeps opportunitas. Vnde Horatius non praecipit solum,

Solue senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat,

sed etiam spectatus satis et donatus iam rude non vult antiquo ludo includi,

Et versus et caetera ludicra ponens.

§. 93.

Per se patet 1) his occasionibus non vtendum esse contra fortiores vitae beatae leges, 2) occasiones eas esse tantum non caussas solitarias, quibus circumfluere possit laeuum aut tardum ingenium sine effectu, qui quaerebatur, §. 78.

§. 94.


In maiori pulcra meditatione quum difficilior

cilior ſit pulcritudo totius, ac pulcritudo cuiusuis partis, pulcritudo rerum et ordinis, pulcritudine ſignorum, §. 18-20, ad priores potiſſimum informandas vtendum eſt impetu mentis aeſthetico, dum feruet opus, et eius occaſionibus, §. 78-92.

§. 95.

Durante ενθȣσιασμω dum pulcre ponere totum, partesque principes intenditur omnis anima, §. 78. laudabiliter a minoribus minorum partium elegantiis exaſciandis abſtrahit ingenium etiam ſatis felix, M. §. 529. ne fiat ſimile fabro, qui

Et vngues
Exprimet et molles imitabitur aere capillos
Infelix operis ſumma, quia ponere totum
Neſciet. Hunc ego me, ſi quid componere curem,
Non magis eſſe velim, quam prauo viuere naſo,
Spectandum nigris oculis nigroque capillo.
Hor.



SECTIO



SECTIO VI.

CORRECTIO AESTHETICA.

§. 96.

Quaedam pulcre cogitanda efferenda ſunt ita, vt non admittant curas poſteriores, et eſſe debeant velut extemporalia, e. g. colloquia et epiſtolae vere familiaria. In his vbi ſumma nitet, resque principes vere pulcrae ſunt, §. 94. quoniam caſtigationes non habuere locum, hoc iniquior iudex ſim, ſi paucis

Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura. §. 95.

§. 97.

Quaedam pulcre cogitata non obligamur efferre prius, quam omnes iis, quas potuimus, gratias conciliauimus, curas poſteriores admittentia. In his, quoniam omnis partialis pulcritudo, caeteris paribus, auget pulcritudinem totius, M. §. 185. charaſterem felicis aeſthetici coronat V.) CORRECTIONIS STVDIVM (limae labor et mora) ſ. habitus protenſa attentione in pulcre informatum opus, quantum poſſis, minores, minutarum etiam

eius

eius partium, perfectiones augendi, tollendi imperfectiones, aliquantula phoenomena, citra detrimentum totius, §. 27. Pulcra cogitatio omnis erit, vt pictura.

Haec §. 96. amat obscurum, volet haec §. 97. sub luce videri,
Iudicis argutum quae non formidat acumen,
Haec §. 96. placuit semel, haec §. 97. decies repetita placebit. Hor.

§. 98.

Correctio quum facilior sit pulcra totius elaboratione, §. 94, 97. auctor

Ni turpem putat inscitus metuitque lituram, Hor.

aut offenditur limae labore ac mora, M. §. 527: vbi iam transiit mentis impetus maior, §. 78.

Vt primum cessit furor, et rabida ora quierunt, Virg.

poterit peragi, iam distinctius praelucente intellectu et ratione, iudicioque intellectuali, §. 38. ad aesthetices etiam artificialis regulas singula exigente, S. IV.

§. 99.

Aesthetica artificialis non solum diriget pulcre cogitatorum, vel turpiuscule, conscientiam, vt ita dicam antecedentem, S. IV. et concomitantem, S. V. sed etiam consequentem, §. 98. tunc nondum inutilem, quando adhuc

Mem-

Membranis intus positis delere licebit,
Quod non edideris, §. 98.

§. 100.

Si quis limam, quibus probe potuisset, §. 97. tamen adhibere neglexerit, hoc id iniquius ferre solent acutiores, quod vident, qui potuit maius, eum et suffecisse minori, §. 98, sed spectatores suos non duxisse tanti, quorum ius aestumant contemtum sui contemtu auctoris rependere, et sic, nugae quae viderentur,

seria ducent
In mala derisum semel exceptumque sinistre.

§. 101.

Neglectum correctionis, de qua loquimur, Horatius vnicam caussam iudicat esse, cur romani graecis in scribendo cedant. A. P. v. 291, reprehendens eum in Lucilio peculiariter Serm. I, 10. Quam necessaria sit vltima lima, doceat Apelles post tabulam, Virgilius Aeneida flammis per testamentum legans, Ouidius, qui malis exsilii solis excusat eius neglectum *de Ponto* I. *ep.* V. 17. Romae non semel lituras a se fieri meminit, II. *ep.* IV. et in ipso oratore laudat, si sua *limet tenui cura.* IV. *ep.* VI. consentiente Cicerone, cuius *oratori* ne *minuta* quidem *negligenter tractanda* sunt, *limatumque dicendi genus* exemplo ac praeceptis commendatur.

§. 102.

§. 102.

Si quis interim cum Nafone fenferit:

Nec tamen emendo, labor hic, quam fcribere, maior.
Mensque pati durum fuftinet aegra nihil.
Scilicet incipiam lima mordacius vti,
Et fub iudicium fingula verba vocem?

confundit ille, plus taedii fecum ferens, et plus virium poftulans. Prius concedo quadrare in emendationem, non pofterius. §. 98. Deuorandum autem eft, quicquid fit taedii ob reuerentiam, quae tua probaturis

Maxima debetur, §. 100.

§. 103.

Sunt, quibus adfueuimus pueri, volentes etiam viri, fcilicet, vt alius fua corrigat, quem deeffe fibi queruntur:

Suus cuique attributus eft error,
Sed non videmus, manticae quod in tergo eft.

Concedo recitationem veterum, nifi corrumpatur et haec adulationibus, faluberrimum effe confilium, et iufte queri, cui defit vir bonus et prudens, qui rogatus in noftris diiudicandis, dum adhuc nonum forfan in annum premuntur,

Fiat Ariftarchus.

Neque tamen ab eiusmodi cenfore plura poftulanda funt, quam vt vel dicat: *Corrige, fodes, hoc et hoc*, vel vt

In-

incomtis allinat atrum
Transuerso calamo signum.

Vt ipse meliora suggerat, non aequus est, qui rogat virum vir. Est cuilibet sua cogitandi ratio, in quibusdam propria. Si circiter aequales viribus sumimur ego, mihique recitans, facilius vtique mihi nonnunquam esset mea cogitandi ratione totum opus absoluere, §. 78, quam remissiori animo, §. 98. per cogitationes alienas ita meas interserere, vt meliores sint in auctoris impetu ab eodem fusis, conducant tamen et haereant apte reliquis, a me meaque cogitandi ratione non profectis.

Si defendere delictum, quam vertere malis,
Nullum vltra verbum aut operam insumamus inanem,
Quin sine riuali teque et tua solus ames. Hor.



SECTIO VII.
CAVTIONES QVAEDAM.

§. 104.

NATVRALE COGITANDI GENVS si dicatur naturalibus animae cogitaturae viribus, obiectorum, eorumque naturae proportionatum, quibus et quorum in vsus vel delectationem cogitatio suscepta praesumen-

da eſt, ſ. breuius has naturas imitatum, adeo neceſſarium eſt pulcre cogitaturo naturale cogitandi genus, §. 14. vt minus adhuc cognita animae pulcre cogitaturae, multorumque obiectorum natura, omne venuſtae cogitationis artificium hac vnica regula comprehendi videretur: *Naturam imitare*

§. 105.

Hinc pulcre cogitaturus caueat, 1) ne laudem ingenii venuſti affectet, niſi omnino, tamen inſigniter, deſtitutus ea, quam S. 11. deſcripſimus, natura, CONTRA NATVRAM, aſinus ad lyram, 2) ne forſan habens naturae generatim, quantum ſatis eſt, ſpecialem tamen characterem et naturae quandam inflexionem, vt ita dicam, peculiarem requirentia ſibi cogitare ſumat, ante, quam viderit, an ſpeciali ſuo etiam characteri has naturae dotes indiderit, alias cogitaturus PRAETER NATVRAM, Suffenus,

Homo venuſtus, et dicax et vrbanus,

cuius ſi verſus legas

Tum bellus ille, et vrbanus
Suffenus vnus caprimulgus, aut foſſor
Rurſus videtur, tantum abhorret ac mutat.
Cat.

Vtrumque COGITANDI GENVS eſt INVITA MINERVA SVSCEPTVM

Tu nihil inuita dices facieſue Minerua. Hor.
Cic. Off. L. I, 110.

§. 106.

§. 106.

Genus cogitandi naturale rectiſſime ſequutus, §. 104, ne, nubem pro Junone, amplectatur *pinguem* et *craſſam Mineruam*

Ruſticus, abnormis ſapiens,

non tam iuuenilia, quam puerilia ſua, ſi quid non aſpernandae naturae, S. II. pelluceat, iam omnibus numeris abſoluta ſtatuens, S. III., aut etiam rudi ingenio contentus per omnem vitam, pro naturali laudando, ſequatur RVDE COGITANDI GENVS, cuius ad naturam ſaepe ſatis mediocrem, nihil doctrinae, nihil artis acceſſerit. S. IV.

§. 107.

Rude cogitandi genus duplici ratione fit ſatis deforme phaenomenon, §. 14. 1) INSCITO (indocto, inerudito) COGITANDI GENERE, quando vel in eum gradum eruditionis pulcrae, quem generatim in omni requirimus vltra plebem ſapere auſo, grauius impingitur, vel apparet ſpeciatim de aliquibus efferre ſuas cogitationes aliquem, ceu venuſtas, voluiſſe, quorum naturam vel mediocri doctrina potuiſſet noſſe penitius, §. 104. de quibus tamen ignoret, quicquid

Non omnis *fricti ciceris* ſciat *ac nucis emtor.* §. 66, 67.

§. 108.

Rude cogitandi genus eſt, 2) INERS COGITANDI GENVS, denuo vel generatim probe fundatarum eleganter cogitandi regularum, vel ſpeciatim eius artis peculiaris aut ignorantiam prodens, cuius tamen ſpecimen profitearis, §. 106, 68. 69. aut neglectum exceptionibus, quibus nihil inſit elegantiae, §. 25, 72.

§. 109.

Duplicis huius, §. 107, 108. duplex

In vitium ducit culpae fuga, dum caret arte

vera naturam belle ſupplente, S. IV. Primum eſt VMBRATILE et ſcholaſticum COGITANDI GENVS, quando in iis, quae pulcram cogitandi rationem requirunt, adeoque naturam, etiam alteram, conſuetudinem elegantioris inter moratiores viuendi generis imitari ſequique debent, §. 104. aut tantum conſtipatur eruditionis reconditioris, vt deſinat eſſe pulcritudo, §. 15. aut omnino ſpeciem eruditionis tantum apud pueros et grammaticorum aliquos mentientia congeruntur.

§. 110.

Alterum eſt AFFECTATVM et coactum COGITANDI GENVS, naturam per artem male ſupplens, quando *artes*, neſcio quae, *nimia*

nimia ſubtilitatis affectatione frangunt atque concidunt, quod Quintilianus docet, *quicquid eſt in* meditationum elegantiis *generoſius*. Peſtis haec naturale cogitandi genus, §. 105. enecans ſe exſerit 1) quando naturalis vnice decor et non fucatus ſuffeciſſet, artis tamen cuiuscunque pigmenta vocantur in ſubſidium ſuperfluum, hic nocens, 2) vbi ſatis infelix aliquis fuit, vt in malas deceptricis artis regulas incideret, 3) vbi bonae artis regulae applicantur, vbi locum habent, ſed inepte, §. 105. E. §. 336.

§. 111.

Alii naturale cogitandi genus recte ſequuti, §. 104. cum natura confundunt ordinarium eius ſtatum, et vires, aliqua licet doctrina promotas, S. IV. mortuas tamen et remiſſas, ex quibus nullum per impetum, nullam per inflammationem viuentibus LANGVIDVM (frigidum, ſomnolentum, oſcitans) COGITANDI GENVS contra S. V.

§. 112.

Dum vitant ſtolidi vitia, in contraria currunt, ieiunumque langnorem incogitando cauturi incidunt in parenthyrſum et EFFRAENE COGITANDI GENVS, quod excuſſo non intellectus ſolum et rationis iugo, ſed ſpicerioris etiam ſaporis negligens, citra vllam ratio-

tionem phaenomenon, quae circiter sufficeret, tantum furorem prae se ferent, qui naturam, sed male sani sincipitis, vnice videatur imitari. §. 104. Tali vesano deridendo Horatius artis suae dedicauit epilogum:

Certe furit, ac velut vrsus,
Obiectos caueae valuit si frangere clathros,
Indoctum doctumque fugat.

§. 113.

Sicut pigri philosophi ac medici nonnunquam naturam, quasi deum ex machina, legunt asylum suae desidiae, sunt etiam, qui naturale COGITANDI GENVS appellant, nisi omnino rude, inscitum ac iners, §. 106-108 incomtum tamen et INCOMPOSITVM, quando non in ipso solum impetu animi, de quo S. V. non satis lente festinas, et quicquid occurrit primo, tanquam optimum, adoptas, sed etiam postea, quae satis cito fudisti, vel nunquam animo castigandi retractas, vel non sine blanda parentum indulgentia, qua quicquid eradicandum esset vitii, vix tangunt, ne naturam suorum perdant, veriti. Cauendum hoc malum genus cogitandi, secundum S. VI, LIMATO COGITANDI GENERE.

§. 114.

Neque tamen commendatur LIMA magis

AT-

ATTERENS, quam poliens, exceſſus in corrigendo, vel in foetus ingenii, qui ſubiti et extemporales poſtulantur, tantum ſtudii diligentiaeque impendens, vt lucernam olentes male non habeant pulcram ſubitaneorum veriſimilitudinem, §. 96. vel impetus ad maiora dati prodigus, qui in minutulis eundem moratur aut diſtrahit, contra §. 95, vel ita ſua retractans, quando *motus omnis animi*, *tanquam ventus*, cogitantem *deſeruit*, *et omnis ardor conſedit*, vt *flaccescant* non ſine aliqua vi primum fuſa, reiectiſque quibusdam, aliis, velut ornatioribus, adiectis, omnis incitatio et quaſi *flamma* pulcre cogitandorum ſimul *exſtinguatur*, §. 111. Eiusmodi lima minorem maiori praefert elegantiam exceptione non eleganti, §. 25. quia

ſectantem leuia nerui
Deficiunt animique. Hor.

* *

SECTIO VIII.

VBERTAS AESTHETICA.

§. 115.

Si quis partim ab enumeratis S. II-VI. iam inſtructus, partim non abhorrens, ſatis felix futurus aeſtheticus, §. 27 conſilium amplius rogauerit, de pulcre cogitando generatim,

tim, §. 17, praesertim de pulcritudine rerum, §. 18,

vtar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi.
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo:
1) *Vnde parentur opes.* Hor.

Prima nempe cura sit in rebus cogitandis VBERTAS (copia, abundantia, multitudo, diuitiae, opes) M. §. 575, sed AESTHETICA, qua datum subiectum, certus cogitaturus, de dato obiecto, certa cogitandi materia, plura pulcre cogitare possit. §. 22.

§. 116.

Sic incipit laudes Isaei Plinius: *Summa est facultas, vbertas, copia.* L. II. *ep.* 3. Quam primo diuidamus in ABSOLVTAM, omni pulcre cogitando necessariam, § 115, 22, et RELATIVAM, illum absolutae gradum, qui quibusdam pulcre cogitandis forte necessarius est, e. g. minus notis, aut admodum vtilibus minus attento tamen inculcandis, quemque *latitudinem platonicam* dicamus, sequuti Plinium eundem, quando Euphratis quidem *sermonem* omnem *copiosum*, §. 115. dicit, eundem tamen affirmat *frequenter latitudinem illam platonicam effingere*, L. I. *ep.* X.

§. 117.

§. 117.

Etiamſi non velit pulcre meditaturus aliquando latitudinem comparatiuam ſequi, §. 116, tamen copia rerum vere affluens ſatis eam eleganter, quaſi per lancem ſaturam, oſtentat, velut ex longinquo, ne ſpectator exhauriri putet materiam poſtea monſtrandis propius. §. 115. Ita Virgilius:

Non mihi ſi linguae centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, e. c.

Ita Cicero: *Nullius tantum eſt flumen ingenii, nulla dicendi aut ſcribendi tanta vis, tantaque* copia, *quae, non dicam exornare, ſed enarrare*, e.c.

§. 118.

VBERTAS AESTHETICA, porro eſt vel OBIECTIVA, (rerum, materialis) quatenus in obiectis et cogitandis ipſis eſt praecipua ratio, cur per humani vires ingenii poſſint vbertim pingi, vel SVBIECTIVA, (ingenii et perſonae) poſſibilitas phyſica et potentia certi hominis, etiam ſecundum quid, et hypothetice talis certam rem vbertim repraeſentandi. Sunt obiecta, velut vltro ſuas diuitias offerentia. Vix in mentem incidunt,

apparetque beata pleno
Copia *cornu*. Hor.

Tunc modo capacitatis habueris, quantum ſatis eſt, non aliis ſolum, ſed et

tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu. Hor.

* *

SECTIO VIIII.

VBERTAS MATERIAE.

§. 119.

HORIZON (ſphaera) COGNITIONIS HVMANAE eſt finitus materiarum ex vniuerſitate rerum infinita numerus, quae mediocri ingenio humano latius dicto poſſunt clareſcere, harum quae poſſunt ab ingenio mediocriter philoſophico perfectius concipi, HORIZONTEM LOGICVM (territorium et ſphaeram) rationis et intellectus conſtituunt, quae poſſunt ingenio mediocriter aeſthetico pulcre ſplendeſcere, HORIZONTEM AESTHETICVM (territorium et ſphaeram pulcri rationis analogi) conſtituunt. Si qua

Deſperas tractata niteſcere poſſe, relinque.
§. 115.

§. 120.

INFRA HORIZONTEM AESTHETICVM POSITA ſunt, quae ex obſcuritate com-

comparatiua et relatiua mediocriter aestheticum ingenium protrahere non potest in lucem pulcram. Qualia si themata sibi sumat pulcre cogitaturus, aut id serio fiet, et nascetur RERVM INOPIA et *meditationis exilitas*, contra §. 115, 119. aut delabetur in allotria, aut periculose iocabitur. Hinc esto eiusmodi

Thema *irrepertum, et sic melius situm,*
Quum terra celat, spernere fortior. Hor.

Conferantur *admiranda rerum admirabilium encomia*.

§. 121.

Carmina vel caelo possint deducere lunam, nec ego tamen suaserim pulcre cogitaturo sibi materiem legere, SVPRA HORIZONTEM AESTHETICVM POSITA, nec ea tantum hic intelligo, vel maxime, quae horizontem cognitionis humanae transcendunt omnino, §. 119. sed ea potissimum, quae ex superiori scientiarum distincta adaequataque cognitione non potest ad pulcram illam lucem deducere mediocriter aestheticum ingenium, quae rosea placeat, non praestringat oculos analogi rationis et inferiorum cognoscendi facultatum. Si tentaueris nihilominus, aut incides in incommoda, §. 120. commemorata, aut iocis expones, quae grauissima putas, aut *illigaberis angustis illis et concisis disputationibus*, quas Antonius apud Ciceronem de Or. L. II, 61. *philosophis* generatim graecis expro-

probrat, non ſine ſolenni formula: *Verbum prorſus nullum intelligo.* Quod contra §. 22.

§. 122.

Egone vero reiiciam ac reprehendam conciſum cogitandi genus, cui tot ambitioſa ſcriptionum mearum ornamenta philoſophicarum immolaui, quod nunc ipſe ſequor, licet paulisper laxius? Vtinam Zenoni iam Stoico deprehenſa veritas, quam repetit Ciceronis Orator, 113, 114. et Quinctilianus II, 21. noſtris ſaltim temporibus fieret apertior, eſſe duo cogitandi genera, alterum *perpetuum, et latius, quod rhetorices ſit,* alterum *conciſum, et contractius, quod dialectices.* Illud horizonti aeſthetico, hoc logico proprium autumo, §. 119. Comparationem *compreſſae in pugnum manus* et *explicitae* meam non facio. Sufficit conciſum cogitandi genus in ſcientificis, praeſertim acroamaticis, apprime neceſſarium, quod Ariſtoteles iam vidit, aeſtheticus ſane, ſicut practicus, ita theoreticus, alieno in loco et extra rationis circulos eſſe poſſe vitium, et ſi qua in iis, quae copioſam orationem requirunt, *crebris paruisque conatibus ſe attollunt* in horizontem logicum, *inaequalia tantum et velut confragoſa, nec admirationem conſequi eminentium, et planorum gratiam perdere.* VIII, 5. Virtute ac facultate *rationali non tam eſt minute atque conciſe in* aeſtheticis

theticis *vtendum*, *quam in disputationibus* scientiarum logicis, XII, 2.

§. 123.

Horizonti aesthetico logicoque possunt esse multae materiae communes, §. 119, hinc ideo, quia aliquid in scientiis pertractatur, non excluditur idem ex sphaera pulcritudinis omnino, sed quatenus punctim et minutim cum accuratione philosophica mathematicaque conciperetur, §. 121. Quatenus autem eadem materia vel intellectu pulcro ipsa M. §. 637. notae autem eius sensitiue ac viuide, vel ipsa etiam, nunc certe, viuida tantum ac venusta cogitari potest, intra horizontem aestheticum recipitur.

§. 124.

Quid sit bonum, praeter honestatem? Verine sensus? Quae sit solis magnitudo? Quaestiones eiusmodi *procul ab oratoris persona esse facile omnes intelligere exsistimat* Cicero. *Nam quibus*, inquit, *in rebus summa ingenia philosophorum plurimo cum labore consumta intelligimus, eas, sicut aliquas paruas res, oratori attribuere magna amentia videtur.* Recte vidit esse quaedam in scientiis supra horizontem aestheticum, §. 121, quae sicut omnis pulcre meditaturus, ita orator, perperam sibi themata legeret, §. 122. Quaestiones autem exempli

exempli loco commemoratas, si non orator, aestheticus certe practicus satis eleganter, arbitror, enarrare posset, modo aliam cogitandi de iisdem rationem sequeretur, ac demonstrator ethicus, logicus, physicus atque mathematicus, §. 123.

§. 125.

Non de omnibus quidem pulcre cogitandi datur copia, §. 119-121, *oratoremque plenum atque perfectum, qui de omnibus rebus possit varie copioseque dicere*, Cic. de Or. I, 59. cum sapiente Stoico,

Discipulorum inter iubeo plorare cathedras:

neque tamen venuste cogitandi facultas tantum est in ciuilibus controuersiis aut aliis leuioris momenti quaestionibus: sed in ipsis disciplinarum etiam et scientiarum 1) dogmatibus, theologicis, physicis, practicis, historicis, e.c. materialiter spectatis, quando ita cogites illa, significesque, *vt videaris voluisse esse illis, qui non sunt eruditissimi, familiaris.* ib. II, 61. 2) illustrationibus scholiorum instar interspergendis. §. 123. cf. Cic. de Or. I, 61.

§. 126.

Theologi primi fuerunt theogoniarum cantores, *referre* quibus

Musa dedit fidibus diuos, puerosque deorum.
Hor.

Cy-

Cythara crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit quae maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, ſolisque labores,
Vnde hominum genus et pecudes, vnde imber et ignes. e. c.
Ingeminant plauſum Tyrii Troesque ſequuntur. Virg. Aen. I. 745.

Rem tibi Socraticae poterunt oſtendere chartae.
Qui didicit, patriae quid debeat, et quid amicis,
Quo ſit amore parens, quo frater amandus et hoſpes,
Quod ſit conſcripti, quod iudicis officium, quae
Partes in bellum miſſi ducis,

habebit, vnde nomen et honorem venuſtae quondam ſapientiae reſtituat, ſi nouerit res grauiſſimas ad vulgarem popularemque ſenſum accommodare, §. 123. atque ita

lenire tigres rabidosque leones
Saxa mouere ſono teſtudinis, ac prece blanda,
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno. Hor.

Hiſtoria vero, teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magiſtra vitae, nuncia veritatis, quam

quam eleganter poſſit *immortalitati commendari*, §. 125. vel vnum Liuii genus cogitandi doceat, *fuſum atque tractum, et cum lenitate quadam aequabili profluens.* cf. Cic. de or. L. II, 36, 64.

§. 127.

Intra horizontem aeſtheticum poſita ſunt, praeter communia ipſi cum horizonte logico, §. 121-126. de quibus plura cogitare pulcrius datur ingenio mediocriter aeſthetico, quae tamen ſcientificis curis et exactioribus, §. 120. perſpicere, vel vires hominum non patiuntur, vel operae pretium rerum ſuarum ſatagenti non videatur. §. 119. Exempli gratia liceat

Huc pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et iuuenum curas, et libera vina referre.

§. 128.

Aeſtheticum dynamicum exploraturum, an materia quaedam ſatis locuples futura ſit, vel aliena pericula docebunt, §. 60, 61. vel ſua, dum vires quaſi praetentat in themate, quando primo venit in mentem, aut ſola natura, S. II. nonnihil in pulcre cogitando exercita, S. III. aut adiuta per artem, S. IV. Si maiore ſe ſentiat impetu mentis latum in certum thema, nihilo tamen minus, neſcio quam rerum inopiam et informandi iam ipſius

operis

operis exilitatem ieiunam experiatur, §. 120. aut, sicca quidem omnia ac sincera, minutim tamen et concisius animo obuersantia, nihil dubitet illud relinquere, siue sit in rebus, siue sit in ipso, iam certe, potior ratio, vnde de eius eleganter exsequendi facultate desperandum sit, S. V. et §. 119.

§. 129.

ARS his periculis commendanda duplex est 1) ANALOGICA qua ex vno pulcro cognito per principium reductionis idem (simile, aequale, congruens) partialiter aliud colligitur. Hinc omnis imitatio virilis pendet, et quicquid est vbique parodiarum. Per hanc Theocritum in eclogis, Homerum in Aeneide sequutus est Virgilius, Menandrum Terentius. e. c. Quam nec ego me diffiteor vtiliorem expertum esse. Ne nimis metuas censores plagii vitio creatos, en! edictum iudicis sane competentis:

Publica materies priuati iuris erit, Hor.

Neque tamen eiusdem definitiones negligas:

Nec verbum verbo curabis reddere.
Nec desilies imitator in arctum
Vnde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.



E SECTIO



SECTIO X.

TOPICA,

§. 130.

2) TOPICA s. TOPOLOGIA, quae definitur ars s. disciplina inueniendorum argumentorum, §. 26. Cic. top. 2. Eandem *inueniendi artem* Cicero salutans, l. c. 6. & Aristoteles etiam multis tradens, sua velut auctoritate stabiliuerunt. Interim si dicendum, quod res est, non est ea tam heuristica, quam ars praedicata certi subiecti secundum certum notionum subiecto sociarum ordinem in memoriam reuocandi.

§. 131.

Potest doctrina topicorum diuidi in LOGICAM cognitioni intellectuali potissimum argumenta suppeditaturam, §. 130. et AESTHETICAM, cognitionem sensitiuam quae promoueat, §. 17. Logica erit denuo vel ANALYTICA, subsidium incidendi in quaestiones, quas deinde demonstrare nitaris & ex complete certis complete certa reddere, vel DIALECTICA, subsidium hylen aliquam praecopiamque sibi comparandi notionum praeceptionumque de dato probabili, vnde colligere liceat rationum decidendi prae rationibus

bus dubitandi ſuperpondium. Hanc ſibi colendam ſumſit Ariſtoteles, ita tamen, vt multa eo facientia non analyticis ſolum, ſed & aeſtheticis applicari commode poſſint topicis, §. 130.

§. 132.

Notio ſubiecto, quod meditandum ſumis, ſocianda, vt periculum facias, an fieri tibi poſſit argumentum, vel latius, locupletans aut nobilitans, aut illuſtrans, aut mouens, §. 26. vel ſtrictius, probans, aut perſuadens, §. 131. pars illius ſeriei, cuius ordinem memoriae mandaſti, LOCVS eſt ſ. ſedes argumenti. Tales loci commendantur vel VNIVERSALES, omnibus quaeſtionibus, thematibus omnibus, aptandi, ſucceſſiue cum re quacunque, de qua meditari velis, combinandi: vel PARTICVLARES, certis tantum thematibus certi generis proprii ac peculiares, et pro ratione diſciplinarum, e. g. ad quas datum thema referri poſſet, diuerſi, §. 131.

§. 133.

Vniverſalium eiusmodi locorum formula paullisper ad naturalem cogitandi rationem inflexa, pueris etiam notus eſt verſus:

Quis? quibus auxiliis? quid? quomodo? cur? vbi, quando?

Aliam, olim pluris habitam, et logicis etiam pertractatam, §. 132. decem exhibent categoriae, siue primus eas coordinauerit, siue iam constructas ab aliis celebriores tantum reddiderit Aristoteles. Nouam, scientiis etiam profuturam, magno hiatu promisit Lullus, de qua vel ea legens, quae S. R. Bruckeri hist. philos. crit. T. IV. P. I. narrat p. 16-21. vix temperare tibi poteris, quin applices arti futili Martialis illud:

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Aliam sequutus est Ramus, Ciceronis imitator ibi etiam, vbi oratoris persona non sufficit, §. 119. Ex quo caussalis inualuit methodus per omnes eruditorum ordines.

§. 134.

Hac ratione §. 132. posses in quocunque subiecto percurrere I. genus summum, II. intermedia, III. infimum, IV. speciem, V. indiuidua, in quocunque I. essentiam et essentialia, II. attributa propria et communia, III. modos IV. respectus et relationes. Nec opus est noua arte, si quis subsidiis eiusmodi delectabitur, aut ea sibi profutura putauerit. Memoriae manda sciagraphiam ontologicorum aliquam praecipua eorundem definita comprehensam, et habebis topica catholica §. 132.


§. 135.

§. 135.

Particulares locos dabit quaeuis diſcipli-
na ſatis complete cognita, ſi potiora mo-
menta per eandem et in eius obiectis atten-
denda breuem in ſummam comprehenſa in-
figas altius memoriae, quorum ad ſeriem eo
pertinentia propius themata poſſis ſucceſſiue
praetentare diuitias eorum nonnihil explora-
turus, tuasque dehinc rationes ſubducere.
Huc faciet eruditio pulcra. §. 66. Themata
ſingularia et ideae ſaltim notas tales atten-
dendas habent potiſſimum, et praedicata,
quibus diſciplinae cuiusdam maxime cogna-
tae forulos excutere non ſine commodo poſ-
ſis, aut differentia talium idearum numerica
magnam partem cognita loco locorum com-
munium ſuccedet. Hac etiam deficiente nec
ideam eiusmodi tibi thema ſume, ſine neceſ-
ſitate. §. 115.

§. 136.

Equidem, ex quo puerilibus exercitiis
egreſſus ſum, ſi quid ad elegantiae potius
rationes, quam logicorum exactitudinem,
demonſtrationisque rigorem, §. 119, medi-
tando ſum auſus componere, nunquam me-
mini topica, ſiue malis vniuerſalia, §. 132,
ſiue particularia quaedam, §. 135, ad nunc
demum aliquam mihi comparandam exſe-
quendorum copiam et vbertatem, vel deſi-
derare, vel adhibere, vel experiri adeo ſin-



 gulariter

gulariter vtilia. Si tamen de iisdem iudicium meum interponere liceat, distinguendum mihi et hic videtur inter palaria, copiose cogitandi ausus exercitii potissimum caussas susceptos, et ipsam pugnam, edenda, vel exhibenda saltim pluribus, ceu perfectum nonnihil et absolutum opus ingenii iam in aliis mediocriter exercitati. S. III.

§. 137.

In exercitiis, qualia descripsi §. 136. sine dubio lego ad bene multa themata intra horizontem aestheticum constituta, §. 119. reflexionem crebriorem et gnauiter continuatam, secundum quaecunque topica, vel maxime catholica, §. 132, quoniam exerceri quacunque ratione copiose cogitandi facultatem, caetera si fuerint paria, praestat, quam vel omnino non acquiri maiorem, vel torpescere vix cultam aliquantulum et velut exarescere, §. 48. Quo perfectiora erunt, quo magis commoda exercendi vsibus et memoriae, hoc quidem magis erunt in vniuersaiibus etiam alia topica suadenda prae aliis, §. 133, 134. neque tamen vel ipsam Lulli artem aliquoties sequi dissuaderem, si fiat non sine naeuorum insignium aliqua conscientia, §. 133, 49.

§. 138.

Exercitia, de quibus §. 136, sed illa iam correctiora et certiora, dequibus §. 58, multo

to magis meditationes iam non amplius exercitii caussa potissimum institutae, §. 136. sibi recte dictum putant:

Non circa vilem patulumque moraberis orbem,
Quod non proposito conducat et haereat apte,

si vel maxime venerit in mentem, recisurus, §. 18. In his itaque personae memor sibi impositae facile praeuidens ex catholicis topicis §. 132, quae quadrent rebus omnibus, vix ac ne vix quidem sperari posse, nisi vniuersalissima et maxime communia themati suo praedicata, longius altiusque petitas magisque, quam fas est, tritas ambages exhibitura, vel meditationi perfectionem tantum §. 15, vltra horizontem aestheticum constitutam, §. 121, conciliatura, minus curabit horum topicorum subsidio hylen corradere, parum aut nihil ad venuste cogitandum profuturam. §. 132.

§. 139.

De topicis particularibus mitius sentire veritas iubet, §. 132. Licet enim eorum sectator etiam in peccatum, de quo §. 138. possit incidere, vel in affectatum cogitandi coactumque genus, §. 110. possunt tamen hi scopuli pulcre vitari copiam nihilominus bellam ex alicuius disciplinae veluti votiua tabula cum suo themate comparata reportaturo. §. 135. In exemplis peregrinis nunc

non haerebo. Versum mnemonicum §. 22. reor vtiliter topicorum aestheticorum, §. 131. vices subiturum apud eos, qui singularum, quas exhibet, vocum satis lautam sibi notitiam, vel per hanc, quam meditor, theoriam, vel aliunde comparauerunt, ingenioque mediocriter felici, secundum S. II-V. thema quoddam, non primo statim ex adspectu reiiciendum, §. 120, 121. praeiudicialibus veluti quaestionibus, excutiendum sibi sumunt, an aptam eleganter cogitandi materiam sit ipsis large liberaliterque suggesturum. §. 118, 128.

§. 140.

Aliam addamus formulam topicorum aestheticorum, §. 131. Quo plures, quo perfectiores facultates animae inferiores, quo plura, quo maiora, quo magis cohaerentia, sub intellectus et rationis imperio, poterunt conferre ad pulcre cogitandum thema datum, hoc erit illud pulcrae meditationi aptius, §. 22. M. §. 185. Hinc cui animus est, quem §. 128, 139. descripsimus, psychologus vbi fuerit, quod multis ex rationibus arbitror apprime necessarium, percurrat suum thema praeiudicialiter, vt ita dicam, examinandum ad satis completum facultatum animae sensitiuarum aliquem catalogum, his circiter quaestionibus: An datum thema saepe sensi, an multa in eodem? an satis digna? an verisimilia?

milia? an ea in luce, quam viuide ſatis ſiſtere poſſim? e. c. §. 139. an ſentire adhuc poſſum? an licet illud imaginari? an multa in eo? e. c. An noui multa eidem ſimilia, aequalia, congruentia, proportionata? Reliqua ſuggeret pſychologia, e. g. M. P. III. S. II-XVII. et vel ipſa eius ſynopſis aeſtheticorum, §. 131, ſicut ontologicorum ſynopſis catholicorum topicorum vices ſubitura, §. 134. ex ipſa tractatione facillime locupletandae, ſi placuerit huc vocare, quod videatur

non hos conceſſum munus ad vſus, §. 119, 123.

§. 141.

Si praeliminaribus eiusmodi, ſecundum artem quamcunque topicam, §. 130-140. inſtitutis collectionibus occupatum corripuerit ille mentis impetus ac incitatio, de quibus S. V. iam tibi ſatis ſuperque profuiſſe velitationes iudicans, reiice, quicquid eſt vbique locorum, §. 132, pendeant opera topicorum interrupta, tuque in euentum feſtinans et in medias res non ſecus, ac notas, raptus, aggredere totum, pone caput, informa partes principes futuri operis,

vocant quia *carbaſa venti,*
Totos pande ſinus,

ne, dum tuam pertexis telam topicam inglorius,

nec Zephyros audis ſpirare ſecundos,

 rem

rem maximam cunctando perdas, et occasionem amittas, loco praeparatoriorum, egregie conficiendi partem operis ipsius grauissimam, §. 95. qua si gnauiter esses vsus opportunitate,

vtrumque Juppiter
Simul secundus incidisset in pedem. Cat.

****

SECTIO XI.
ARGVMENTA LOCVPLETANTIA.

§. 142.

Jam definiui argumentum latius, et mentionem locupletantium argumentorum inieci, simul ostendens figurarum sententiae classes easdem commode, quas argumentorum assignari. § 26. Jam facile colligamus, quo maior argumenti vis sit, hoc ipsum maius meliusque fore, si vero ad vbertatem alterius, e. g. thematis primarii, non solum, sed ad eius pondus simul et grauitatem e. c. haud parum eleganter conferat, hoc maiorem ipsi vim et robur attribui debere. Erit itaque secundum hanc intensionis scalam argumentum et figura pulcerrima, quae cognitionem et locupletiorem, et grauiorem et veriorem et clariorem et certiorem et ardentiorem alterius, e. g. thematis primarii, simul efficiant, §. 22.

§. 143.

§. 143.

Quanquam multiplex argumentorum et figurarum esse simul efficacia potest, possunt tamen ad vnam dictarum classium referri, vel a potiori sua vi desumta denominatione, vel ab ea, cuius finem nunc maxime attendimus. Hinc argumenta figuraeque mihi locupletantes iam sunt, quarum vel vnica, quod minime probauerim, vel potissima, quod magis, vel nunc saltim attendenda vis est aliquid conferre ad abundantiam diuitiasque totius operis belle cogitandi, licet deinceps reliquis cogitationum gratiis §. 22. easdem non minus fauentes deprehensuri simus, quod maxime probauerim. §. 142.

§. 144.

Topica quaecunque saltim significatu primo §. 143. dabunt ingenio mediocriter instructo locupletantia argumenta. §. 130-140. Quae subindicaui §. 139, 140, primis tantum locis, locorumque diuisionibus mere talia, reliquis autem, praeter copiam, aliam simul, vel omnino plures, gratias secundum eorum ordinem meditanti sistent ob oculos. §. 143. Hinc, quem reliqua poscunt successiuum iudicii actum ex hyle siluaque confusa seligentem, an et quo quid adhiberi possit fine, duo vltima topicorum genera statim iungent simultaneum inuentionis, aut recordationis potius, actui. §. 130.

§. 145.

In figuris significationis, e. g. dictionis, ipsis sunt quaedam eo quidem ordinario relatae, §. 26. quarum tamen vis et elegantia, si quis iis, vti vir, vtatur, in ipsis se rebus et cogitationibus exserat, ob quam in figuris sententiae, rite locatae, locum mereantur. Exempla figurarum dictionis, vti vocantur, adducam, quoniam earum nomina notiora sunt, et earum quidem aliquas, quas locupletantes dixeris. Pleonasmus videtur otiosi quid expressisse, dictumque iam satis per vocabula socia, neque tamen figura est, sed vitium, nisi, quod otiosum censebatur, acuto iudici saltim ad pleniorem rei significatae cognitionem admodum negotiosum deprehendatur. §. 143.

§. 146.

Synonymia totalis non est figura, partialis est, si per differentias synonymo cuiuis adhaerentium conceptuum res significata copiosius saltim sistatur, ac per vnum synonymorum partialium fieri potuisset. Exergasiae par est ratio in PHRASIBVS s. pluribus vocabulis iam inter se quidem constructis nonnihil, neque tamen punctum constituentibus. Synthesis, aut synesis potius, et *compositio*, dum vocabula iungit contra syntaxin, vt videtur, et hinc cogit, praeter expresse posita, partialiter synonyma eorum, cogitare, quibus syntaxis faueat, si figura

est,

est, est synonymia, quae figura sit, cryptica. Ipsa huc ellipsis, si lector auditorue lacunam deprehendat in vocabulis,

Quaeque latent, meliora putans,

multo plura suppleturus ipse sibi tradat, ac tribus verbis exprimi potuissent. §. 145.

§. 147.

Hypallage, sane, figura non erit, nisi sensus verborum, in quibus lingua mentem praecurrere videbatur, cum illo, qui vel quasi correctionibus additur, vel lectori auditorique quasi corrigendus relinquitur, saltim rem plenius sistat et rotundius, ac sine affectata hypallage fieri potuisset, §. 145, 143. Homoeoteleuton, iugum poetis nostratium aliquibus intolerabile, sunt alii, qui multum ad vbertatem copiam et diuitias cogitationum conferre dicant, ita, vt parum absit, quin inter topica referatur, §. 130. Periphrasis in aliis finibus eleganter assequendis hunc etiam finem habere potest laudabilis, vt, si praeuideas vno vocabulo vnum etiam tantum conceptum excitandum de re, tot de eadem conceptus partiales vnius excites loco, quot vni substituis voci per periphrasin vocabula, §. 145.

§. 148.

Figurarum, quae solent etiam haberi in figu-

figuris ſententiae, §. 145. vnam tantum exempli loco nominabo in locupletantibus, praeteritionem, qua ſi probe noueris vti, vel etiam eius crypſi, ſynathroiſmo, non id ſolum aſſequeris, vt multa poſſis, et tamen breuiter, dicere, §. 143. ſed ſimul vt ſpectator, animaduertens, quam lautam ſupellectilem, quaſi negligens, ſiccò pede tranſeas, ſibi velut ipſe tacitus dicat, §. 117. (quod et ego de quacunque re vere pulcra, quam nobis natura conceſſit, dictum velim)

Materia tanta abundat copia,
Labori faber vt deſit, non fabro labor,
Phaedr.



SECTIO XII.

VBERTAS INGENII.

§. 149.

Vberrima ſit, etiam aeſthetice, §. 115. res, quam thema forſan mihi ſumerem, non tamen in illam tantum oculos figo, ſed etiam ad me prudenter

Reſpicio, et quae ſit me circum copia luſtro, Virg.

Si quid eleganter cogitare ferat animus, quaeritur etiam de vbertate ſubiectiua, §. 118. Sicut

cut in opticis, in aeſtheticis etiam quilibet ſuum horizontem habet, et poteſt aliquid eſſe multorum in horizonte aeſthetico, quod tamen non eſt intra meum, ſed illum vel tranſcendit, vel infra eundem deprimitur, §. 119-121. vel ſaltim eſt extra eum. Sicut in geographicis horizon apparens, nunc latior eſt, nunc anguſtior, ita meus horizon aeſtheticus poteſt contrahi, poteſt dilatari. Sunt ingenia, quorum nonnunquam

Tres caeli ſpatium diſtat non amplius vlnas.

§. 150.

Eſt in primis venuſte cogitandi regulis, §. 149. *ſumere materiam* ſuis *aequam,*

Viribus, et verſare diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

Hinc ad requiſita pulcre cogitaturae perſonae non tantum S. II-VI. memorata pertinent, ſed et peculiariter, vt vires eius etiam ſufficiant, ad datam materiem, et data quidem occaſione, dato tempore et loco, copioſe e. c. §. 22. cogitandam.

§. 151.

Nunc ſpecialis etiam excutiendus aeſtheticorum certi datique generis character eſt, §. 27. ne perſonam induas, cui ſuſtinendae, neque natus, neque factus es, §. 150. I. an genius

genius tibi caeteroquin satis bene nato etiam faueat ad datam certae speciei materiam belle pingendam? e. g. S. II. §. 105.

Aude
Caesaris inuicti res dicere, multa laborum
Praemia laturus. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt. Neque enim quiuis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos,
Aut labentis equo describit vulnera Parthi.
Hor. Serm. l. 1. 10.

§. 152.

II. An exercitiis ad speciale belle cogitandi genus, quo datum thema pertinet, et longa iam manu dudum praeparatus es, et adhuc praesto habes per ea semel obtentam dexteritatem, quanta sufficiet? S. III. Ad latinam poesin minus aptos expertus sum poetas, etiam natos, per academias prima demum artis in hac lingua carmen scribendi rudimenta posituros. *Dicendo homines, vt dicant, efficere solent. Vere* autem *etiam illud dicitur,* si intetmittatur exercitatio, *sumto spatio ad cogitandum paratius atque accuratius dicendi, peruerse dicere homines, peruerse dicendo, facillime consequi,* licet olim in dicendo non male versatos. Cic. de Or. I. 150.

Saepe

Saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.
Nunc oblita mihi tot carmina. Vox quoque Moerin
Jam fugit ipsa. Virg.

§. 153.

III. An iis pulcrae eruditionis partibus mediocriter instructus es, ad quam electum eligendumue tibi thema propius spectat, an artem calles specialem, ad cuius regulas peculiare tuum opus exigendum est atque componendum? §. 67, 69. S. IV. Recte dicitur quilibet de iis, quae ignoret, turpissime dicere. Quod si verum non est, *quod Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes, illud est,* profecto, *verius, neminem in eo disertum esse posse, quod nesciat.* Cic. de Or. I. 63. *Quid est enim tam furiosum, quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia, nec scientia?* l. c. 51.

§. 154.

Doctrina si vim promouet insitam,
Rectique cultus pectora roborant, §. 153.

non inscitum cogitandi genus dominae naturae §. 151. *diligentiaeque,* §. 152. *qua vna virtute omnes virtutes reliquae continentur.* Cic. de Or. II. 150. maculam affricat §. 107. inersue cogitandi genus easdem

Non ignoratae premit artis crimine turpi,
§. 108.
Non quiuis videt immodulata poëmata iudex.
Idcircone vager? scribamue licenter? an omnes
Visuros peccata putem mea? Tutus et intra
Spem veniae cautus, vitaui denique culpam
Non laudem merui.

§. 155.

IV. An nunc *humana* ea *parte locatus es in re,* vt omnino possis exspectare mentis impetum incitationemque, sine qua nihil egregii, an eam definite inflammationem animi sentis, aut sperare conceditur, qualem et quantam, et intensiue, et extensiue, et protensiue, datum tuum sumendumue thema poposcerit? S. V.

Judicis officium est, vt res, ita tempora rerum
Quaerere. Quaesito tempore tutus eris.
Carmina secessum scribentis et otia poscunt,
§. 84.
Me mare, me venti, me fera iactat hiems.
Ou trist. l. I.
Arma graui numero violentaque bella parabam,
Edere, materia conueniente modis.
Par erat inferior versus. Risisse Cupido, §. 87.

Dici-

Dicitur, atque vnum ſurripuiſſe pedem.
Ou. Am. l. 1.

Phoebus volentem praelia me loqui,
Victas et vrbes, increpuit lyra, §. 82.
Ne paruā Tyrrhenum per aequor.
Vela darem. Hor. od. IV. 15.

§. 156.

V. An ſatis tibi nunc erit otii ſpatiique non ad pertexendam ſolum telam, quam magno forſan cum impetu mentis exordiaris, ne cadat illud in te:

Amphora coepit
Inſtitui, currente rota, cur vrceus exit? Hor.

ſed etiam ad limam adeo commendabilem? S. VI. Quod tamen in ſolos foetus ingenii dictum velim, quos aliquis exponere publicae luci cogitat, neque tamen, vt extemporalia. §. 96. quia

Tunc *operae celeris nimium, curaque carentis.*

iure reus agi poteris, ſicut ab Horatio Lucilius,

Garrulus atque piger ſcribendi ferre laborem,
Scribendi recte, nam vt multum, nil moror.
e. c. Hor. Serm. l. 4, 12.

§. 157.

Generatim §. 152-156. ideo tantum expoſitae ſunt, vt videas, quae tibi praecipue

cogitanda ſint. §. 151. 118. non autem, vt inde *cauſſis deſidiae indulgeas*, et iam hunc, iam alium, defectum prae te ferens ſemper habeas, *propter quod* tibi, nihil audenti omnino, *ignoscas*. Quint. X. 3. Infra horizontem aeſtheticum, vel omnem, §. 120, vel tuum poſita tibi themata legens, male fluctus moueres in ſimpulo, §. 150. Supra horizontem aeſtheticum, vel omnem, §. 121. vel tuum poſita ſectatus, male fieres imitator Icari, §. 150. qui

ceratis ope Daedalea
Nititur pennis vitreo daturus
Nomina ponto.

Vtramque maculam ita caue, vt nec *ſtudia tua infinita cunctatione fraudes, quae, quum modum excedit, verendum eſt, ne inertiae et deſidiae vel etiam timiditatis nomen accipiat.* Plin. II. ep. 10.

* *

SECTIO XIII.

ABSOLVTA BREVITAS.

§. 158.

Si diuitiae et rerum S. VIIII. et perſonae S. XII. affluant, ne iam tibi plaudas, vt apud Terentium Pamphilus ſibi:

Quis

Quis me est fortunatior venustatisque adeo plenior?

De magnis aceruis eiusmodi, copiosaque silua cogitandorum 1) ea, tot ac tanta tollenda sunt in vsus tuos, ex quibus completi quid pro fine, quem tibi proposuisti, componi possit ac effici. Completionem non postulo, quam in definitionibus logicus, at problematibus philosophicomathematicis, requirat, sed eam, in qua nihil turpiter desit, nihil ad finem insufficientiae fiat phaenomenon, nihil eo pertinentium, nisi forte per solam intellectus vim, desideretur. §. 16. Id consequutum COGITANDI GENVS, PLENVM ATQVE PERFECTVM erit. Omne quidem bene plenum cogitandi genus cumulatum etiam erit atque copiosum, referta tamen atque cumulata potest esse cogitatio de re quapiam, neque plena neque perfecta, quod vltimum est vbertatis aestheticae, §. 115.

§. 159.

Sit vasta, sit diffusa COGITATIO, nisi simul omnibus numeris absoluta videatur ac integra, si quid aestheticorum aequum iudicem desiderare patiatur et rerum suarum, si quid omittat, salua pulcritudine quod deesse non potest, MANCA quodammodo, ac inchoata potius, quam perfecta censeatur. Huc HIVLCA AC ABRVPTA COGITANDI

RATIO, ſcatens ſaltibus aeſthetice illegitimis. §. 158. Quint. IV. 2.

§. 160.

2) Ea omnia, quae ſaluo pulcritudinis gradu prorſus abeſſe poſſunt, relinquenda, vel etiam arrepta primum obuia reiicienda denuo ſunt, quia heic ſuperflua diſtrahentia nocent, M. §. 638. Haec eſt BREVITAS laudabilis ABSOLVTA. Nec enim ſolum

Breue ſit, quod turpiter audes, Iuu.

ſed etiam, ſi quid ſuauiter. Neque tamen haec breuitas rationem habet ad tempus breuibus huiusmodi cogitationibus vere pulcris imbibendis inſumendum,

Saepe fuit breuior, quam mea verba, dies. Ou.

Quis autem laudabilem Ouidio breuitatem omnino denegauerit? Habebit ea potius rationem ad multitudinem paucitatemque cogitandorum de dato themate data ratione, plene tamen atque perfecte, §. 158. Superuacuis forte nonnunquam perditur

breue, at irreparabile tempus.

Bene locatae vero in breuitatem hanc laudabilem exhibentibus

Saepe citae viſae longis ſermonibus horae.

§. 161.

Breuis narrationis plena deſcriptio apud Ciceronem, de Inu. I. 28. definitionem §. 160. illuſtrabit. Cogitatio abſolute laudabiliterque

literque *breuis erit*, *si*, *vnde necesse est*, *inde initium sumetur*, *et non ab vltimo repetetur*, *et si*, *cuius rei satis erit summam dixisse*, *eius partes non dicentur*. *Nam saepe satis est*, *quod factum sit*, *dicere*, *non*, *vt enarres*, *quomodo sit factum*, *et si non longius*, *quam quod scitu opus est*, *in narrando* (meditando) *procedatur*, *et*, *si nullam in rem aliam transibitur*, *et*, *si ita dicatur*, *vt non nunquam ex eo*, *quod dictum sit*, *id*, *quod dictum non sit*, *intelligatur*, *et*, *si non modo id*, *quod obest*, *verum etiam id*, *quod nec obest*, *nec adiuuat*, *praeteribitur*, *et*, *si semel vnumquodque dicetur*, *et*, *si non ab eo*, *in quo proxime desitum erit*, *deinceps incipietur*. cf. Quint. IV. 2.

§. 162.

Non enim *in narratione* solum, sed vbique belle cogitaturo *vtique praecipue media haec tenenda est via*, *quantum opus est*, §. 158, *quantum sat est*, §. 160. *Fallit voluptas*, *et quae delectant*, *minus longa videntur*. *Vt amoenum ac molle iter*, *etiamsi est spatii amplioris*, *minus tamen fatigat*, *quam durum aridumque compendium*. Quint. IIII. 2. Iuuat l. II. Aen. Virg. 800. circiter versibus

breuiter Troiae supremum audire laborem.

V. II.

§. 163.

Hinc et pulcre cogitaturis optandum cogitandi genus, quod diceremus philosophi

adaequatum et finem exasse consequens, M. §. 882. cui nihil insit incompleti §. 159. nihil abundantis §. 160. quantum id assequi, hoc vitare possit analogon rationis §. 15, 16. Aliter eueniet,

1) *Plenior vt si quos delectet copia iusto,*
Cum ripa simul auulsos ferat Aufidus acer.
Hor.

quorum cuiuis, quando

Apparent rari nantes in gurgite vasto,

acclames illud:

Nihilo sapientior, ex quo
Plenior es,

alicuius autem sepulcro titulum inscribas:

Breuior duxi securius aeuum.
Ipsa nocet moles. Claud.

2) Aut vt in vitia §. 121, 122, 159. notata incurras, vel *inornata* vt *breuitas fiat indocta*, §. 108. Quint. IV. 2.

§. 164.

Breuitas absoluta §. 160, poscit, vt cuiuis pulcrae meditationis parti tantum modo venustatis detur, quantum pulcritudo totius admittit, §. 19. PARSIMONIAM ET SOBRIETATEM AESTHETICAM. E. §. 289, 260. *Parsimonia est scientia vitandi sumtus superuacuos, aut ars re familiari* (copia diuitiisque, de quibus S. VIII-XII.) *moderate vtendi. Parcissimum tamen hominem vocamus pusilli animi atque contracti*, §. 120, 149. *quum infinitum intersit inter modum* (quem parcus seruat),

seruat), *et angustias*, §. 23. M. §. 551. Sen. de Ben. II. 34. Siue malis esse *parcissimus elegantium*, vti *Crassus*, siue *parcorum elegantissimus*, vti *Scaeuola:* Cic. de claris or. 148. satisfacies erudito palato, quoties in pleno cogitandi genere et perfecto, §. 158. exhibebis ipsi

Parca, quod satis est, manu. §. 160, 162.

§. 165.

Vti breuitas absoluta generatim id, quod philosophi nunc dicimus nimis prolixum cogitandi genus cauebit, §. 160: sic elegantiarum parsimonia praecipue,

ne grauidis procumbat culmus aristis, §. 164.

Luxuriem segetum tenera depascet in herba, §. 158.

Nam si luxuria foliorum exuberat vmbra,
Nequicquam pingues paleae teret area culmos. Virg.

Georg. I. 191. LVXVRIANS COGITANDI GENVS s. *καλλωπισμος* est, vel per omne meditationis filum plus venustatum et figurarum, §. 26. ad singulas paene particulas constipans, ac fert pudica totius pulcritudo, vel nonnunquam saltim aliquam partem comtius effingens et alteram, ac pulcra totius admittit concinnitas. De prima venuste cogitaturi luxurie, cuius *omnia dicta factaque quasi sesamo et papauere*

Sparguntur, Petr. valeat illud sapientis;
πλεον ημισυ παντος,
de vtraque:
Persicos odi, puer, apparatus.

§. 166.

Breuitatem omne pulcre cogitandi genus decentem, §. 160, plenam illam et refertam, §. 158, non mancam, non hiulcam, §. 159. parcam tamen ac sobriam, §. 164, non luxuriantem aut maculosam, §. 165. vno nomine **ROTVNDAM BREVITATEM** dicere liceat. Ergo siluae tuae, quanta quanta sit, S. VIII. XII. lacunas exple ac hiatus §. 158, 159. simul tamen
Luxuriantia compescens, §. 165.
et ad breuitatis laudabilis parsimoniaeque regulas omnia concinne rotundans, §. 160-164. non aestheticam, §. 115, sed
Fastidiosam, desere copiam.



SECTIO XIIII.

BREVITAS RELATIVA.

§. 167.

Sicut vbertas aesthetica vel absoluta fuit, vel relatiua, §. 116. ita distinguenda etiam est ab absoluta breuitate laudabili ac rotun-

da, de qua S. XIII. RELATIVA BREVITAS, maior ille gradus abſolutae, §. 160, qui quibusdam forte cogitandis eleganter neceſſarius et peculiaris eſt. Haec breuitas habet etiam aliquam rationem ad tempus cogitationibus hoc ſignificatu breuibus imbibendis inſumendum. §. 160. Neque de meditatione breuitatem relatiuam poſcente dici poteſt, quod Plinius de Ciceronis orationibus habet, *optimam eſſe*, *quae maxima*, quod minus accurate addit; *bonus liber melior eſt quisque*, *quo maior*. l. ep. 20. quae tota controuerſiam aeſtheticam continet, huc pertinentem, et in aliis diſtinctione breuitatis abſolutae relatiuaeque tollendam, vincente Plinio.

§. 168.

Multae enim lites inde ortae ſunt, in definiendis pulcre cogitandorum generibus breuitatem relatiuam poſcentibus, §. 167. quando aliquibus in tali genere 1) abſoluta breuitas, non ſatis a relatiua diſtincta, recte iudicabatur apprime neceſſaria, §. 160, 166, 2) occurrebant caſus ſpeciales bene multi ſub tali genere contenti poſcentes ſimul breuitatem vtique relatiuam, 3) gratior apud pleroſque breuitas etiam relatiua deprehendebatur vniuerſim. Tunc enim aliis, 1) non diſtinctius, ac priores, breuitatem abſolutam a relatiua diſcernentibus tali thematum generi non tribuenda videbatur vniuerſim breuitas,

tas, quia 2) ſub eiusmodi genere continebantur caſus, ubi *praeuaricatio ſit*, *curſim ac breuiter* (relatiue) *attingere, quae ſint inculcanda*, *infigenda*, *repetenda*, 3) *breuitas* (relatiua) in tali thematum genere ſemper et promiſcue non *placeat*, niſi *inertibus*, *quorum delicias deſidiamque*, *quaſi iudicium*, *reſpicere*, *ridiculum ſit. Nam ſi hos in conſilio habeas*, *non ſolum ſatius eſſe* (relatiue) *breuiter dicere*, *ſed omnino non dicere*.

§. 169.

Quoniam heic nondum methodus naturalis, quam mathematicam dicunt, principia ſufficientia decidendarum eiusmodi controuerſiarum, §. 168. anteponere tractationi praeſenti permiſit, aliquas tantum exempli loco videamus. *I. An in cauſſis agendis nihil aeque, ac breuitas placet?* Haec eſt Pliniana l. c. quaeſtio, cui noſtris temporibus adiungamus ſimilem quaeſtionem de ſacris ex ſuggeſtu habendis orationibus. R. Abſoluta breuitas, §. 160, ſed rotunda, §. 166. eſt vna ex primis vtrarumque dotibus, neque tamen primaria, poſcens in aliquibus relatiuam etiam per omnia, in aliis, qua quasdam partes, §. 167. In omnibus autem non poteſt, multo minus in ſingulis omnium partibus poteſt haec relatiua ferri, tantum abeſt, vt laudari, tantum abeſt, vt tanquam iucundiſſima, poſſit

ſit aeſtimari a ſeuero, licet non moroſo, iudice. §. 168.

§. 170.

II.) An narrationem oportet eſſe breuem? Iam *Ariſtoteles ab Iſocrate diſſenſit praeceptum breuitatis irridens, tanquam neceſſe ſit, longam aut breuem eſſe expoſitionem, ne liceat ire per medium. Theodori quoque ſcholae* negant, *quia nec breuiter vtique, nec dilucide ſemper ſit vtile exponere.* Quint. IIII. 2. Cicero facit cum Iſocrate,

et adhuc ſub iudice lis eſt.

Id certum eſt abſolutam breuitatem in narrationibus bene multis maiorem breuitatem relatiuam poſtulare, ac in aliis aliquibus orationis partibus, §. 160, 167. Relatiuae enim breuitatis denuo dantur gradus, §. 167. Recte Quintilianus l. c. breuitatem narrationis oratori ſuadens, tamen: *Vitanda eſt*, inquit, *illa Salluſtiana breuitas, quanquam in ipſo virtutis obtinet locum, et abruptum ſermonis genus*, §. 159. *quod otioſum fortaſſe lectorem minus fallat, audientem transuolat, nec dum repetatur, exſpectat.* e. c.

§. 171.

Occaſione breuis narrationis Cicero lepidum et ſatis vſitatum perſtringit errorem, quando: *Multos*, ait, *imitatio decipit breuitatis*, (relatiuae) *vt, dum ſe breues putent eſſe, longiſ-*

longissimi sint, quia dent operam, vt res multas breuiter dicant, non, vt omnino paucas res dicant, et non plures, quam necesse sit. de Inu. I. 28. Exemplum ibi profert, quale est et in Quint. l. c. Meo concipiendi modo dicerem studium relatiuae breuitatis cum neglectu absolutae, LONGISSIMAM QVASI BREVITATEM, non solas orationes deturpantem. (longissimum quasi laconismum.)

§. 172.

Vidisse tamen et Ciceronem verum in sententia breuitatem relatiuam in narrando non omnino probantium, docet l. de Or. III. 202. vbi suadet aliquando adhibere *commorationem vna in re per multum mouentem et illustrem explanationem, rerumque, quasi gerantur, sub adspectum paene subiectionem, quae et in exponenda re,* §. 170. *plurimum valeat, et ad illustrandum id, quod exponitur, et ad amplificandum, vt iis, qui audiunt illud, quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse videatur,* §. 116. aliquando autem *praecisionem* (breuitatem relatiuam) *et plus ad intelligendum, quam dixeris, significationem, et distincte concisam breuitatem et extenuationem,* e. c. vtramque referens ad figuras sententiae, §. 26.

§. 173.

Neque moror graeculorum quorundam distin-

diſtinctionem inter *circumciſam expoſitionem*, i. e. *συντομον, et brevem*, quando *illa ſuperuacuis carens*, i. e. vere et abſolute breuis §. 160. haec definitur, vt *quae poſſit aliquid ex neceſſariis deſiderare*, quoniam haec, niſi de verbis litigare iuuerit, vitium eſt. §. 158. 159. nomine breuitatis, quae virtus eſt, §. 160, 167. prorſus indigna. Quint. l. c. Alias diſtinctionem inter conciſum diſtincte ratiocinandi genus et συντομον ex vna, ac breuitatem aeſtheticorum rotundam, §. 166, relatiuam etiam, §. 167. ex altera parte lubens concedo. §. 121, 122.

§. 174.

III. Maior iam conſenſus criticorum eſt breuitatem relatiuam requiri in ſententiis.

Quicquid praecipies, eſto breuis, vt cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles;
Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat.
Hor. A. P. 335.

Eſt breuitate opus, vt currat ſententia, neu ſe
Impediat verbis laſſas onerantibus aures.
Serm. I. 10.

Breuitas non modo ſenatoris, ſed etiam oratoris magna laus eſt in ſententia. Cic. de leg. III. 40. *Amatores* quidem *multis iam ante* Ciceronem *ſaeculis et Philiſto Syracuſio defuerunt, et ipſi Thucididi, quia eorum conciſis ſententiis*, §. 121, 122.

122. *interdum etiam non satis apertis cum breuitate, tum nimio acumine officit Theopompus.* Cic. de claris or. 66. Neque tamen paucos amatores Thucididi, ipsique Tacito, conciliauit grata posteritas et fatum eorum scripta seruans, dum alia

Desert in vicum vendentem thus et odores,
Et piper, et quicquid chartis amicitur ineptis.

Interim Ciceronis obseruatio docebit vltima modum esse breuitati relatiuae etiam in sententiis, §. 170.

§. 175.

IV. *Acutior est atque velocior in vrbanitate breuitas.* Quint. VI. 4. vbi quidem in sequentibus Marsi definitionem vrbanitatis adducens: *Vrbanitas est virtus quaedam in breve dictum coacta maxime idonea ad resistendum, vel lacessendum, pro vt quaeque res ac persona desiderat*, addit: *Cui breuitatis exceptionem detraxeris, omnes orationis virtutes complexa sit. Cur autem breuem esse voluerit Marsus, nescio. - - - Nec tamen iudicium Marsi hominis eruditissimi subtraham.* Confirmat Marsi iudicium, Horatius simulque rationem videtur subinnuere, quando poscit sermonem

Interdum vrbani parcentis viribus, atque
Extenuantis eas consulto. §. 164, 172.

Hor. Serm. I. 10.

§. 176.

§. 176.

Breuiter: Para opes, S. VIII. vnde posſunt exſpectari, S. VIIII. vnde ſumſeris, parum curaverim, S. X. para tu modo, S. XI. ſodes, S. XII. paratas exhibe rotunda breuitate, S. XIII. meditatioque tua poſthinc commemorandarum venuſtatum, §. 22, non immemor,

Conueniet voto longa, §. 116. *breuisque,* S. XIIII. *meo.* Ou.



SECTIO XV.

MAGNITVDO AESTHETICA.

§. 177.

Secunda cura ſit in rebus venuſte cogitandis §. 115. MAGNITVDO, M. §. 515. ſed AESTHETICA, quo nomine 1) pondus obiectorum §. 18. et grauitatem, M. §. 166. 2) proportionatarum obiectis cogitationum, 3) cum foecunditate vtrorumque, M. §. 166. complectamur. §. 22. *Illud vere magnum, quod ſubinde cogitandum conſiderandumque nobis occurrit,* (ȣ πολλη η αναθεωρησις) *quod vix, ac ne vix quidem, animo excidere poteſt, ſed conſtanti, firma, et indelebili memoria retinetur.* Longinus. S. VI.



§. 178.

§. 178.

Ingenium cui ſit, cui mens diuinior, atque os
Magna §. 177. *ſonaturum, des nominis huius*
honorem,

vt poeta dicatur, et muſicus, ſi magna canat, et pictor, ſi magna pingat e. c. *Voluminibus ipſis auctoritatem aliquam et pulcritudinem adiicit magnitudo.* Plin. ep. l. 20. Magnitudinem autem aeſteticam primo diuidamus denuo, ſicut vbertatem, §. 116. in ABSOLVTAM omni pulcre cogitando neceſſariam, §. 177. et RELATIVAM ac comparatiuam, illum abſolutae gradum, qui quibusdam pulcre cogitandis peculiariter et ſpeciatim requiritur. Vtramque nouerit, et probe diſtinguat,

Artis ſeuerae ſi quis ardet *effectus,*
Mentemque magnis applicat, ſimul ac *morem*
Frugalitatis §. 164. *lege callet exacta.* Petr.

§. 179.

Quemadmodum vere pulcre cogitantes, quando non latitudinem ſectantur comparatiuam, §. 116. et multo minus in circumductum et diffuſum et abundans luxuriando cogitandi genus incidere laborant, §. 165. inopiae, §. 120. ſe ipſos reos agunt extenuatione, §. 175. nonnunquam forſan ironica: ita iidem, iisdem forſan ex cauſſis, ſublimia non cogitantes, et multo minus amantes tumeſcere,

re, se dicunt animi pusilli, neque tamen auditores sibi volunt credulos. Ita Horatius:

Dii bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi, raro ac perpauca loquentis.
At tu conclusas hircinis follibus auras. e. c.

Ita Martialis: IX. 50.

Ingenium mihi, Gaure, probas sic esse pusillum, §. 177.
Carmina quod faciam, quae breuitate placent, S. XIIII.
Confiteor. Sed tu, bis denis grandia libris
Qui scribis Priami praelia, magnus homo es.

§. 180.

Magnitudo aesthetica relatiua et comparatiua multos quidem gradus habet, §. 178. nunc tamen eam, vti decet aestheticum, §. 15, 16. in tres tantum vsitatos grammaticis gradus diuidamus, vt quaedam magna sint, absolute scilicet, §. 178, 177. in positiuo, quaedam in comparatiuo, quaedam in superlatiuo. Prima sint *humiles myricae*, secunda *arbusta*, tertia *siluae*.

Non omnes arbusta iuuant, humilesque myricae,
Si canimus siluas, siluae sint consule dignae, Virg.

§. 181.

MAGNITVDO AESTHETICA, §. 177. et abſoluta, §. 178. et relatiua, §. 180. porro eſt vel NATVRALIS, cum libertate propius non connexis conueniens, vel MORALIS, obiectis cogitationibusque tribuenda, quatenus propius cum libertate connectuntur. Naturalis eſt e. g. Virg. Aen. V. 421. quando

Entellus duplicem ex humeris reiecit amictum
Et magnos membrorum artus, magna oſſa lacertosque
Exuit, atque ingens media conſiſtit arena. e. c.

Vbertim S. VIII. cogitentur intra horizontem aeſtheticum conſtituta themata, S. VIIII. locis S. X. et argumentis locupletantibus, S. XI. ſi noueris vti, S. XII. habebunt eadem ſimul magnitudinem, abſolutam certe, naturalem, §. 177. Hinc ad hanc parum opus eſt nouis regulis.

§. 182.

Magnitudinem aeſtheticam moralem, i. e. per libertatem legibus moralibus conformiter determinatam quae poſſibilis eſt, §. 181. deprehendo 1) in obiectis eorumque variis et conſectariis, ſi citra detrimentum virtutis cogitari poſſunt pluribus, et caeteroquin eleganter, 2) in iisdem, ſi dictis modis cogitari poſſunt ſerius aut citius ad virtutem tandem conſentientia, 3) in cogitationibus, ſi

pro-

proportionari exaequarique ſuis obiectis et materiis ita poſſunt, ne quid detrimenti, 4) vt tandem certe nonnihil emolumenti capiat res virtutis bonorumque morum ſaluberrima, pulcerrima. §. 177. Liceat hanc moralem magnitudinem aeſtheticam breuius DIGNITATEM AESTHETICAM dicere, et iam poſt §. 115. videre,

2) *Quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error.* §. 22.

§. 183.

Nolim hanc cogitationum venuſtatem, veluti per μεταβασιν εις αλλο γενος, et quaſi falx in alienam meſſem immitteretur, nunc deriuari tantum ex ſeuerioribus vitae beatae ſuperioribusque legibus, aut omnino ex genuini Chriſtianismi ſanctiſſimis oraculis. Malim eam heic conſiderari, velut conditionem, ſine qua non, operis ingeniorum vere pulcri, qua deficiente prorſus, non ſpiritui ſolum, non rationi ſolum, §. 15. ſed ipſi rationis analogo per magnitudinem pectoris connatam, §. 45. vſu, §. 50. diſciplinaque, §. 63. confirmatam ſuffulto pelluceat quaedam deformitas elegantia quaedam alia tamen deturpans, quoniam iis immorari non licet ſine morum iactura, per exceptionem, ſane, non elegantem. §. 25. vel ex eius arbitrio, qui mores ex ſolo ſapore, neque tamen publico meretricioque, metiretur, §. 35.

 Iam

§. 184.

Iam hinc enim constabit, turpissimas licet poenas aliter sentientibus minantem, falli tamen Catullum, et turpiter falli, quando: c. 16.

Castum, ait, *esse decet pium poetam*
Ipsum, versiculos nihil necesse est.
Qui tum denique habent salem et leporem,
Si sunt molliculi et parum pudici,
Et, quod pruriat, excitare possint.

Quanquam non verius Martialis l. I. 35.

Lex haec carminibus data est iocosis:
Non *possunt, nisi pruriant, placere,*

dignum ille tamen patella reperit operculum ita turpem suam legem, vti decet, probans:

quis stolatum
Permisit meretricibus pudorem? §. 165.

Rectius vtique Persius sat. 1. nisi peccat in forma:

Hic neque more probo videas, neque voce serena, §. 183.
Ingentes trepidare Titos, quum carmina lumbum
Intrant, ac tremulo scalpuntur vbi intima versu.

§. 185.

DIGNITAS AESTHETICA, §. 182. pars

et ſpecies magnitudinis aeſtheticae, ſicut haec, §. 177. 178. vel ABSOLVTA erit, omni pulcre cogitando neceſſaria, de qua iureconſultos romanos imitati, quicquid cogitare fuſius contra bonos mores eſſet, illi nos ne cogitando quidem immorari poſſe cenſeamus, §. 183, 184. vel RELATIVA, quae quibusdam pulcre cogitandis peculiaris requiritur, non eodem in gradu in omnibus, §. 178. De hac loquitur Cornelius, quando *non dubitat fore plerosque, qui* ſuum *genus ſcribendi leue, et non ſatis dignum ſummorum virorum perſonis iudicent*, et Cicero de Fin. l. I. *ſuſpicatus aliquos futuros, qui hoc genus ſcribendi (quae philoſophi graeco ſermone tractarunt, latinis litteris mandans,) etſi ſit elegans, perſonae tamen et dignitatis eſſe negent.*

§. 186.

De eadem relatiua §. 185. tantum intelligendus eſt Cicero, quando Off. l. I. 130. *pulcritudinis duo genera* conſtituit, *quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas, venuſtatem muliebrem ducens, dignitatem virilem.* Nam et ipſe poſcit in oratoris perfecti *vultu*, ne *dignitatem* ſolum ſed etiam *venuſtatem afferat*, Or. 60. et *dignitati*, Fam. X. ep. 6. ſane non venuſtatem, ſed *deformitatem* opponit. Eſt et matronis ſua dignitas et praeciſius, vti ICtum decet, §. 15. Vlp. de ſenator: *Maior dignitas eſt in ſexu virili.* Interim pace Ciceronis et auctoritate,

licebit omnia, quibus omnino deest dignitas, etiam absoluta, deformia dicere, §. 185, 177. et in vera, mascula praesertim pulcritudine, e. g. actionis, ad venustatem in primis dignitatem poscere, de Or. l. I. 142. et statuere *deformari* rem personamque *detrahendo spoliandoque dignitatem.* Or. pro Caelio 3.

§. 187.

Neque diffiteor hoc confidentius me germanum dignitatem in primis pulcre cogitandorum venustatibus legere, §. 186. germanis potissimum scribentem; quoniam expertus noui, in aliis, in quibus gens germanorum romanis est apprime similis, hanc etiam laudem vtrique populo communem esse, de qua Cic. pro Mur. 23. *Omnes artes, quae nobis populi romani* (nationis germanicae) *studia conciliant, et admirabilem dignitatem et pergratam vtilitatem debent habere.* Vel absolutam dignitatem vniuersim et strenue commendanti arti nostrae aestheticae, relatiuam etiam clarius ob oculos ponenti, forte non sua solum constabit absoluta dignitas, sed et relatiua quaedam tribuetur a grauibus, neque tamen tetricis, inter ciues iudicibus. §. 185.

§. 188.

Erunt interim, nisi fallor, et in germanis ciuibus, qui §. 182. n. 1. et 3. satis liberaliter concedant, tamen n. 2. et 4. postulari iudicent

aliquid,

aliquid; quod vbique requirere, quando pulcre cogitatur, videatur iusto venustoque rigidius. Verum his excusabor facilius, quando 1) expresse et explicite paraenetica didicerint curatius distinguere ab iis, quae tacite et implicite et longa veluti manu, admodum mediate vel ad minorum morum praecepta non omnino nihil conferant, 2) vitam pulcrae cognitionis dotem primariam, §. 22. penitius inspexerint, quam variis illa se modis ac gradibus belle soleat exserere. Nunc §. 169. ita me defendam; vt negem mihi vitio verti posse, si vel eadem, vel omnino minora poposcerim, respectu disciplinae morum aut probitatis, ac ille, qui se ipse dicit,

Epicuri de grege porcum,

Horatius de poetis generatim iterum asserit iterumque, e.g.

Et prodesse volunt et delectare poëtae
Et simul et iucunda et idonea dicere vitae.
Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci
Lectorem delectando pariterque monendo.

§. 189.

MAGNITVDO tandem AESTHETICA §. 177. hinc et DIGNITAS §. 182. tam ABSOLVTAE, quam RELATIVAE, §. 178, 185. erunt vel OBIECTIVAE (rerum, materiae,) quatenus in obiectis et cogitandis ipsis est praecipua ratio, cur per pulcrum ingenium

nium et pectus, S. II. proportionata in magnitudine ac dignitate possint pingi, vel **SVBIECTIVAE**, (personae) possibilitates physicae potentiaeque certi hominis, etiam secundum quid et hypothetice tales, cum appetitionibus et decreto datam materiem, qua pote, qua fas est, in magnitudine et dignitate venuste sistendi ob oculos. Has posteriores dicamus **MAGNANIMITATEM ET GRAVITATEM AESTHETICAM**. E. §. 489.

§. 190.

Sunt res, et materiae, quarum adspectu primo describendarum cum aliqua pulcritudine statim exprimatur nobis, quod olim Virgilio:

Maior rerum mihi nascitur ordo,
Maius opus moueo. VII. 44. Aen.

Tunc felix ille, qui iustus aestimator sui vere tamen de themate tali a se pulcre exsequendo, possit praedicere, quod idem de saeculis aureis se viuo redituris:

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamuis, atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan deus Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicet se iudice victum.

§. 189.

SECTIO



SECTIO XVI.

MAGNITVDO MATERIAE ABSOLVTA.

§. 191.

Magnitudo materiae aeſthetica abſoluta, §. 189. poſcit, ne cogitanda ac themata ſumantur pulcre meditaturo obiecta ac materiae, quibus intra horizontem hominum aeſtheticum conſtitutis, §. 119, 127. omnino deeſt magnitudo, §. 177, **NVGAE VERE TALES** (res infimae et nugatoriae, quisquiliae, ineptiae) *Poetam non audio in nugis*, Cic. Par. 3. Vnde ſat. V. 19. Perſius optime:

Non equidem hoc ſtudeo bullatis vt mihi nugis
Pagina turgeſcat, dare pondus idonea fumo.
Excutienda damus praecordia, §. 182.

§. 192.

Si quis rixatur de lana ſaepe caprina, et
Propugnat nugis armatus,

huc §. 191. materia litis vere pertinet, niſi velit omnino ſuas tricas vltra horizontem aeſtheticum tollere, §. 121. Catullus atque Martialis in ea ſua cogitata, quae ſcripſerunt ex turpi lege, de qua §. 184. iuſto leniores ſunt, quando ea nugas vocant, alia tamen pulcrius a ſe concepta inuoluentes eodem titulo

titulo ſunt interpretandi ex §. 179. Habentur etiam ſaepius in nugis, quae non ſunt, qualia §. 100. et forſan huc opinio Democriti, probe intellecta, quam Cicero male refutatam de Diu. II. 20. non aequius in magnis nugis habet, ac *phyſicorum genere nihil* ait *arrogantius* eſſe.

§. 193.

DIGNITATEM AESTHETICAM §. 182. et abſolutam et relatiuam, §. 185. et obiectiuam et ſubiectiuam, quatenus in ea deprehenduntur n. 1. et 3. §. 182. liceat in ſequentibus NEGATIVAM, quatenus autem ſimul n. 2. et 4. §. c. conſiderantur, POSITIVAM appellare. Et quoniam nobilem iam ΗΘΟΥΣ AESTHETICI partem aggredimur, definiam illud, pſychologis ſaltim perſpicue, generatim ante omnia per ſtudium poſſibilitatis moralis, M. §. 723. aeſtheticum, vel in aeſtheticis obſeruatum. Ηϑȣς *nomine, vt ego quidem ſentio, caret ſermo romanus. Mores appellantur -- Sed ipſam rei naturam ſpectanti mihi non tam mores ſignificari videntur, quam morum quaedam proprietas.* Quint. VI. 3.

§. 194.

ΗΘΟΣ AESTHETICVM habet etiam ſpeciem ſuam partemque, ex qua NEGATIVVM dicatur, §. 193, 182. cuius haec eſt formula: Res, ordo, ſignificatio, e. g. dictio, §. 13. ſi pul-

pulcrae intenduntur, ita inſtituantur, ne quid moraliter abſurdi in iisdem, vel ipſi rationis analogo pelluceat, §. 16, 22. et alteram ſpeciem ac partem, ex qua POSITIVVM appelletur, et ſecundum quam eadem, quae modo dixi, vere etiam conſentire moribus et cum iisdem congruere, pulcre conuenire cum illis, quae moraliter, ethice, oeconomice, ciuiliter ex vſibus conſuetudinibusque fieri poſſunt, fiat phaenomenon, vel ipſi rationis analogo obſeruabile, §. 23.

§. 195.

Veniamus ad vnam ἠθους partem ex primis, §. 194. quam naturalis nunc meditandi ratio ſubminiſtrabit. Dignitas aeſthetica, ſi vel abſolutam tantum intelligas, §. 182, 185. poſtulat, ne qua cogitanda, multo minus themata ſumantur, quibus intra horizontem aeſtheticum conſtitutis, vbertimque ac viuide e. c. §. 22. percipiendis omnis omnino deeſſet dignitas, OBIECTA VILIA ET PLEBEIA, quae luto potius, quam myricis, §. 178. conferas, et has humiles nuncupans illa HVMILLIMA dicas ET ABIECTA.

§. 196.

Vt quisque optime natus inſtitutusque eſt (haec autem eſt aeſthetici practici perſona, §. 45, 54, 63.) *nihil abiectum, nihil humile,* §. 195. *cogitant.* Cic. de Fin. V. 57. Eorum nemo

Migret

Migret in obſcuras humili ſermone tabernas,
Offenduntur enim, quibus eſt equus, et pater
et res. Hor.

Neque huc tantum traho turpiſſimam obſcenitatem, de qua §. 184, 192. ſed et humi repentem adulationem,

laudare paratam
Si bene - - -, aut ſi quid fecit amicus,
Quod proferre palam non poſſit lingua modeſte, Iuu.

et luxuriantem contumeliis conuiciisque lixas inter et calones maledicentiam, quam olim quidam critici, bona mens! qui Critici! documentum vbertatis ſuae copiaeque voluerunt. §. 195.

§. 197.

In diiudicanda magnitudine ac dignitate materiarum abſoluta, ne magna puſillis,

ſine pondere habentia pondus, §. 177.

digna indignis, §. 182. fanda nefandis, §. 196. temere miſceantur, non excluduntur ex materiis pulcre cogitandis, 1) vere nonnullam habentia magnitudinem, aliquando ſummam, §. 178. in quibus tamen non nemo, gigantum fraterculus, qui ſe ſolum putat aliquid magni, ac omnia refert ad grandem, quam in ſe ſolus miratur, menſuram, nihil omnino, niſi nihili facienda, vili pendenda, nugas meras, poteſt deprehendere. Non opus eſt

muſi-

muſicam Epaminondae citare, quamdiu ipſa religio multis,

niſi cum re, vilior alga eſt.

§. 198.

2) Quibus deeſt vtique quaedam magnitudo relatiua ac comparatiua, neque tamen abſoluta, §. 178. e. g. in colloquiis epiſtolisque familiaribus, in quibus vel duo nonnunquam *ſatis magnum alter alteri theatrum ſumus.* Sen. Talem ſe ſiſtit Corydon:

Deſpectus tibi ſum, nec quis ſim quaeris, Alexi,
Quam diues pecoris niuei, quam lactis abundans.
Mille meae ſiculis errant in montibus agnae.
e. c. Virg. Ecl. II. 19.

§. 199.

3) Quae non ipſa ſolum, ſed et cum ſuis variis conſectariisque ſatis multis pura mente cogitari poſſunt, etiam copioſe, viuide e. c. §. 22. licet impura mens poſſit in ipſis eorumque variis et conſectariis ſimul non pauca virtuti inimica excogitare, e. g. ſi,

Tityre, lentus in vmbra
Formoſam reſonare doces Amaryllida ſiluas.

4) quae moroſae virtuti, vel etiam fucatae taedium afferunt, quando ab aliis cogitantur, innocentia, non ſine ſuſpicione inuidiae: e. g. Mart. IX. 98:

quod amamur, quodque probamur.

§. 200.

§. 200.

5) Quae non omnibus perſonis ac aetatibus, temporibus ac locis conueniant, aliquibus autem vtique, ſalua tam magnitudine, quam dignitate abſolutis, §. 197. e. g. quae ſolebant cum Lucilio,

vbi ſe a vulgo et ſcena in ſecreta remorant
Virtus Scipiadae ac mitis ſapientia Laeli
Nugari §. 192. faciles, *diſcincti et ludere, donec*
Decoqueretur olus. Hor. Serm. II. 1. 75.

6) non explicite, immediate, aut propius virtutes inculcantia. e. g. Lucretii l. 49:

De ſumma caeli ratione deumque
Diſſerere incipiam, et rerum primordia pandam,
Vnde omnes natura creet res, auctet, alatque,
Quoue eadem rurſum natura peremta reſoluat. e. c.

§. 201.

7) Quibus vtique deeſt quaedam dignitas relatiua ac comparatiua, neque tamen abſoluta, § 188. e. g. *Epaminondam ſaltaſſe commode, ſcienterque tibiis cantaſſe.* Corn. Huc Anacreon et celebris Catulli paſſer, viuens, c. 2. ac mortuus, c. 3:

Lugete

Lugete, o veneres, cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum!
Passer mortuus est meae puellae,
Passer, deliciae meae puellae. e. c.



SECTIO XVII.

MAGNITVDO MATERIAE RELATIVA.

§. 202.

Quibus et magnitudo conuenit et dignitas absoluta, §. 182, 185. MATERIAE, relatiuam et magnitudinem, §. 180. et dignitatem habebunt I.) myricae, minimam, cum aliqua latitudine, quae deceat aestheticum, §. 15, 16. honore vno ex minoribus dignae, TENVES. Huc et personas, obiecta personalia, pertinere ne dubites, referamus et nos, post Demetrium,

Vulteium nomine Menam,
Praeconem, tenui censu, sine crimine natum,
Et properare loco et cessare, et quaerere, et vti,
Gaudentem paruisque sodalibus, et lare curto,
Et ludis, et post decisa negotia Campo. e. c.
Hor. I. ep. 7. 55.

§. 203.

II. Siluae, maximam, cum eadem aesthe-

 ticum

ticum decente latitudine, §. 202. honore vno ex maximis dignae, excellenter MAGNAE, GRANDES ATQVE SVBLIMES. Non pugnabo contra Senecam, quando magnitudinem et dignitatem rerum intrinsecam spectans: *Omnia*, inquit, *vitia, non refert, in quantum procedant, extendantque se. Angusta sunt, misera, depressa.* §. 195. *Sola sublimis et excelsa* (moraliter etiam) *virtus est. Nec quicquam magnum est, nisi quod simul et placidum*, nisi forsan in effatum vltimum, de Ira. I. 16. Nobis autem hic sermo est de magnitudine et dignitate obiectiua, non quatenus ipsis obiectis inhaeret, sed quatenus obiectis inhaerens, quicquid illud sit, rationem propiorem continet, vt de obiectis magnae dignaeque cogitationes formari possint, §. 189, 18.

§. 204.

Sicut itaque recti quidam habitus, non abiecti quidem ac humiles, tenues tamen illi possunt esse, §. 202. partim in destitutis magnitudine quadam relatiue maiori naturali, partim expertes multis variis consectariisque, etiam moralibus, sed per analogon rationis obseruabilioribus, §. 181, 182: ita praui quidam habitus et facinora videantur esse posse magna pulcre cogitaturo materia, vel omnino grandis, quando 1) varia eorum, etiam ad materiale remotum et proximum realia perti-

pertinentia M. § 914. ipſumque formale ſimul habeant magnitudinem naturalem per p'ura etiam conſectaria, denuo vel ex materiali, vel ex formali mali effluentia per ipſum analogon rationis detegenda, 2) non tam ipſorum formale dictorum, quam huius ingens deformitas thema pulcre ſiſtendum ob oculos aeſthetice meditaturo ſumitur, quod vtique fieri poteſt digniſſime, §. 18, 203. Ita Catilinae ſcelus et Ciceroni et Saluſtio thema grande fuiſſe videatur, §. 89. Nec facile, niſi in eiusmodi thematibus, aliquis, ex Petronii conſilio,

ingentis quatiat Demoſthenis arma,
Grandiaque indomiti Ciceronis verba minetur.

§. 205.

Nec excludam obiectis aeſthetice grandibus, §. 203. ea, quibus eſt magnitudo naturalis tantum, §. 187. relatiue vna ex maximis, etiamſi moraliter videantur indifferentia, ſi ſiſtantur in dignitate, negatiua quidem tantum, §. 193. quam tamen ſumma cum diligentia tuearis. §. 203. Ita Lucr. I. 720. grandia de Sicilia:

Hic eſt magna Charybdis et hic Aetnea minantur.
Murmura flammarum,

An ſatis dignum, quando pergit:

rurſum ſe colligere iras?

Equidem τῳ:

Magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio,

grandia cogitaturus non addidiſſem:

viſendaque fertur. cf. Aen. III. 571. ſqq.

§. 206.

Interim in ipſis generice maximis, §. 203. eminent, quibus ad magnitudinem naturalem et dignitatem negatiuam, quas ex maximis dixeris, accedat etiam dignitas aliqua poſitiua, §. 193. Huc referrem, ſi Ciceronem ex animi ſententia ſcripſiſſe putarem, de nat. deorum l. II. 166: *Nemo vir magnus ſine aliquo afflatu diuino vnquam fuit.* 167: *Magnis viris proſpere eueniunt ſemper omnes res, ſi quidem ſatis a noſtris, et a principe philoſophorum, Socrate, dictum eſt de vbertatibus virtutis et copiis.* 168: *mala et impia conſuetudo eſt contra deos diſputandi, ſiue animo id fit, ſiue ſimulate.*

§. 207.

Sunt enim vtique, quod Quintilianus habet, VIII. 3. *alia aliis honeſtiora, ſublimiora,* e. c. ſicut et magis minuſue tenuia, §. 202. Neque tenuitas, neque ſublimitas heic conſideranda eſt illa, quam intellectus forſan et ratio ſola tandem in diſtincte, quantum fieri poteſt, repræſentatis detegat: §. 15, 16. ſed a mi-

a minimis ad maxima obſeruabilium et pulcre ſiſtendorum elegans per analogon rationis, non ſine dignitate, paullatim exſurgens complexus materiarum omnis diuidatur in partes aequales tres. Infima erit aeſtetice tenuis, ſuprema aeſthetice ſublimis, quaeuis ſuos iterum gradus et magnitudinis et dignitatis comprehenſa. §. 203.

§. 208.

III. Arbuſta, mediam inter tenuia et ſublimia §. 207. partem occupantia, MATERIAE MEDIOCRES, *interiectae, intermediae, et quaſi temperatae, vicinae* tenui ſublimique, *vtriusque participes, vel vtriusque, ſi verum quaerimus, potius expertes.* Cic. Huc e. g. Pamphili deſcriptio apud Ter. Andr. I. 1.:

Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli,
Vt animum ad aliquod ſtudium adiungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philoſophos,
Horum ille nihil egregie praeter cetera
Studebat, et tamen omnia haec mediocriter.
e. c.

§. 209.

Longinus videtur magnum, §. 177. etiam relatiue tale, §. 203. et in magnis eiusmodi maximum confundere, quando: *ουδεν*, ait, *υπαρ-*

υπαρχει μεγα, ϰ το καταφρονειν εϛι μεγα. S. VII. exemplaque adducit generatim honores et dignitates, et quae habent πολυ το εξωθεν προστραγωδȣμενον, caussam interserens, quia sapienti nequeant videri bona eximia, quorum contemtus sit aureae mediocritatis, quaeque contemnentes, quando ea habere possunt, magis admiramur, quam iisdem fruentes, §. 207. Quando porro characterem bonorum sublimium exhibet, si sint δια παντος αρεσκοντα και πασιν, quaeritur an huic maiori quicquam vnquam certo subsumi possit. Si possit, erit illud sane non magnum, sed maximum. e. g. quando S. VIII. poscit το σφοδρον και ενθȣσιαϛικον παθος, confer Senecam citatum, §. 203.

§. 210.

Recte Longinus S. VIII. sublime, §. 203. distinguit a pathetico, quia quaedam

Curae leues loquuntur, ingentes stupent. Sen.

et esse sublime potest sine perturbationibus animi, §. 205. fidenter tamen simul affirmans, nihil tam magnificum esse, quam affectum vehementem, vbi opus est. §. 206. In quaestione, quam multis expendit, S. XXXIII. sqq. an praestet magnitudo (relatiuam intellige sublimitatem §. 203.) inter quaedam, quae peccent, mediocribus, per omnia sanis et vitio carentibus §. 208. habebit omnino sibi affirmanti facilem in assentiendo philosophum

phum aestheticum, si sublimitas et eam ambientia recte cogitanda sint adeo pulcra, vt subductis macularum adhaerentium summis, priorum tamen aggregatum pulcrius ac venustius sit residuum, ac mediocre quoddam aliud thema sic cogitatum, vt etiamsi non appareant eius gradui pulcritudinis subtrahendae maculae, tamen aggregatum pulcre cogitandorum de eodem infra priorem summam subsistat. Addamus ob sublimitatem sociam multa, quae in mediocribus, §. 208. non viderentur solum, sed et essent maculae, nec has quidem esse, sed tantum videri, vere exceptiones non inelegantes, §. 25.

§. 211.

Virtutem bonosque mores heic tantum consideramus, quatenus phaenomena fiunt, aut per commercium hominum externamque viuendi rationem obseruantur, non exclusis ipsis virtutum vmbris, §. 45. quarum discrimen a vera virtute, non nisi per intellectum ac rationem detegeretur, §. 15, 16. Vnde patebit cultus externi diuini, morum, rituum, cerimoniarum ac consuetudinum, perspicaciae declaratae, disciplinae corporis comtioris, curae status externi, officiorum humanitatis generatim et praesertim decori, tam positiui, quam negatiui, nonnihil aliam esse rationem ad ethica grauiora, ac solet intelligi a meditante vitae praecepta beatae, quantum

tum eius fieri poteſt, per puram rationem, E. §. 110,--383. e. c.

§. 212.

Nec aeſthetico ſemper, immo perquam raro potius virtus bonique mores ſpectantur in ſtatu hominis naturali generatim et velut in illimitato, ſicut ethicis accuratioribus plerumque ſolum. E. §. 1,9. Heic potius conſiderantur, vti exſiſtunt, non in ſpecialibus ſolum ſtatus naturalis modificationibus, E. P. II. ſed et ſimul in ſtatibus hominum ſocialibus, in nexibus familiarum et conſanguinitatum, diuerſorum vitae generum, ſocietatum inde varie diſcrepantium, ciuitatum et ex ciuili vinculo redundantium infinitorum paene reſpectuum, nec eorum vniuerſalium tantum, quos abſtrahit philoſophus, ſed particularium, immo ſingularium, quatenus a poſitu corporis in hoc illoue pendent, pro locis aetatibusque mutabiles. §. 22. Heic apprime ſunt attendenda iam ea, quae *non eadem omnibus* ſunt *honeſta atque turpia, ſed omnia maiorum inſtitutis iudicantur*. Corn.

§. 213.

Ex his punctis viſus, §. 211, 212. ſi contempleris virtutem moresque laudabiles, et pluribus vtique differre gradibus inter ſe, deprehendes et poſſe tamen cum aliqua rotunditate, §. 166. diuidi, ſicut diligentia diuiditur

tur gradus culpae doliue cognituris, et praedicanda tantum non omnia grammaticis, §. 180, 207. in SIMPLICITER HONESTAM VIVENDI RATIONEM, illum bene morati viuendi generis gradum, ad quem obtinendum cuiuscunque conditionis et educationis et consuetudinum necessitudinumque persona, si velit esse bona, vires sufficientes habere videatur, in MORES VIVENDIQVE RATIONEM NOBILEM, illum bene morati ex §. 211, 212. viuendi generis gradum, quem in melius natis feliciusque iam educatis ordinario non sine vsu, vel omnino aliqua disciplina, reperias tantum ordinario, adeoque quemcunque hominem eo pertingere vix posse, licet decreuerit, non sine verisimilitudine iudices, et in HEROICAM tandem VIRTVTEM VIVENDIQVE RATIONEM SINGVLARI CVM MAIESTATE CONIVNCTAM, illum optime viuendi modum ex §. 211, 212. conceptum, quem vel attingere, vel aequabilem et bono significatu semper eundem sibi conseruare, quod difficilius est,

pauci, quos aequus amauit
Juppiter, atque ardens euexit ad aethera virtus,
Diis geniti, potuere.

§. 214.

Qui nouit viuere, E. §. 390. differentias,

H 5 §. 213.

§. 213. breuiter notatas satis perspicue sibi ipse tradet vberius, nec haerebit in hac dignitatis aestheticae §. 182. relatiuae, §. 185. et obiectiuae §. 189. concipienda veluti scala; Simpliciter honestum viuendi genus: tenuia, §. 202. = nobile: mediocria, §. 208. = heroicum: sublimia, §. 203.

§. 215.

Quae rerum humanarum est limitatio, nulla paene talis est, quae non duplicem, vt Epictetus ait, ansam habeat, tolerandam alteram, alteram minus. Non obiecta solum absolute digna, sed ipsa sublimia, si quadam ex parte sui considerantur, habent eadem simul aliam, ex qua si penitius inspiciantur, non sublimitas solum pereat, sed et omnis non raro dignitas. Par ratio magnitudinis naturalis, prout comparetur. S. XV. XVI. Hinc eo facilius est obseruatu quaedam obiecta, quasdam materias, prima fronte quae videantur semper eadem, pro diuersis tamen respectibus, variis ac momentis, quibus potissimum attendas, nunc humilia fore, saltim tenuia, nunc mediocria, alia nunc mediocria, nunc sublimia. Quaedam obiecta per omnes relatiuae magnitudinis dignitatisque gradus possunt transcurrere, prouti diuersis ex lateribus spectatorum oculis obiiciantur. §. 202. -- 214. *Quam multum interest, quid a quoque fiat? Eadem enim facta claritate vel obscuritate facien-*

facientium aut tolluntur altissime, aut humillime deprimuntur. e. c. Plin. VI. ep. 24.

§. 216.

In bucolicis, vbi plerumque tenuia sectatur Virgilius, Ecl. V. 35. ex MStis legit Vossius:

Infelix lolium et steriles nascuntur auenae,

quod ipsi, non sine ratione, minus videtur, ac idem §. 215. in Georgicis, vbi mediocria quaeruntur obiecta, l. I. 154. ita cogitatum:

Infelix lolium et steriles dominantur auenae.

Si quis interim grandem, sicut Prudentius, Hamartigeniam meditaturus picturae lapsus inscriberet:

Infelix lolium et steriles nascuntur auenae,

picturae miseriarum corruptelarumque, quas post se nunc etiam trahit:

Infelix lolium et steriles dominantur auenae,

et picturae demum euentus vltimi, naturalis quidem, at deplorandi:

Infelix lolium et steriles vruntur *auenae,*

inter alia, pro grauitate materiae, magnificentius concepta, non reor harum cogitationum vllam materias arduas depressuram. §. 215. Pacis fructus et tenues, et mediocres, et grandes, esse possunt materiae.



SECTIO XVIII.

RATIO COGITATIONVM AD MATERIAS GENERATIM.

§. 217.

Magnitudo aesthetica postulat, vt cogitationes proportionentur ac exaequentur suis obiectis, personalibus ac realibus, ipsique cogitanti subiecto, quatenus ipsum, aut status eius aliquis, fit suum simul obiectum, aut obiectum, cui congruenter cogitandum sit. §. 177. Genus cogitandi minus magnis vel absolute, vel relatiue talibus, obiectis ΒΑΘΟΣ est, (humile, humi repens cogitandi genus). Genus cogitandi maius suis obiectis TVMOR est (frigus, tumidum et inflatum, nimis altum, nimis exaggeratum cogitandi genus). Aequalitas cogitationum cum obiectis absolute magnis laus est, cuius oppositum peccans in defectu βαθος, in excessu tumor est.

§. 218.

Ita Cicero, sequutus *Aristotelem*, *neque humilem nec abiectam orationem probat*, *nec nimis altam et exaggeratam*, *plenam tamen eam vult esse grauitatis*, §. 189. *vt eos*, *qui audiunt*, *ad maiorem possit admirationem traducere.*

cere. Or. 192. Quam primum humilitas dignitati generatim opponitur, vt Cic. pro Rosc. 156. illa pulcris ex meditationibus exsulet. §. 195. Sed exsulet simul tumor. §. 217. *Num manus affecta recta est, quum in tumore est? aut num aliud quodpiam membrum tumidum ac turgidum non vitiose se habet? Sic igitur inflatus animus et tumens in vitio est, sapientis autem animus semper vacat vitio, nunquam turgescit, nunquam tumet.* Cic. Tusc. quaest. III. 19.

§. 219.

Laudis amore tumes? §. 217. *Sunt certa piacula, quae te*
Ter pure lecto poterunt recreare libello. Hor.

Hic autem erit vel practice, per exempla, vel theoretice simul ostendens, tunc etiam, quando cogitationes res vocamus, §. 18. verum esse illud:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vlt. a citraque nequit consistere rectum.

Huius enim sanctissimae legis probe memor, non humilia solum vitabis, sed ob eandem etiam tibi ipsi dices intra praecordia:

Intempestiuos igitur compesce tumores. Ou. Trist.

§. 220.

Decipimur specie recti pars maxima.
Professus grandia turget.
Serpit humi tutus nimium timidusque procellae. Hor.

Rectius curſum teneas *nec altum*
Semper vrgendo, neque, dum procellas
Cautus horreſcis, nimium premendo
Littus iniquum. §. 217.

Sequeris enim tunc naturale cogitandi genus, §. 104. quoniam

profecto, hoc ſic eſt, vt puto,
Omnibus nobis vt res dant ſeſe, ita magni atque humiles, §. 195. *ſumus.*
Ter. Hec. III. 3.

§. 221.

Vitandum eſt itaque I. NVGIGERVM (nugiuendulum) COGITANDI GENVS de nugis vere talibus, §. 191. nugantium, i. e. aequales obiectis cogitationes informantium exhibentiumque. Quoniam enim hoc cogitandi genus vel abſolute magnis minus eſt §. 178. recte, §. 177. PRIMVM ΒΑΘΟΥΣ GENVS conſtituitur, §. 217.

Nimirum ſapere eſt abiectis vtile nugis,
Et tempeſtiuum pueris concedere ludum.

Ex eiusmodi enim mustaceo laureolam non quaesiuerit, nisi Plauti forsan aliquis *nugipolyloquides*.

§. 222.

II. Genus cogitandi de nugis vere talibus §. 191. ac si essent aliquid, §. 177. 178. PRIMVM TVMORIS GENVS, §. 217. cuius species prima est, si malis auibus nugas loces in absolute magnis, licet tenuibus, §. 202. secunda, quoties easdem tentaueris mediocribus inserere, §. 208. maxima, si de iisdem veluti de grandibus ac sublimibus cogites, §. 203. Ridicule semper

Maxima de nihilo nascitur historia.

In primis tamen, quando

Non de vi, neque caede, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis,
Vicini queror has abesse furto,
Hoc iudex sibi postulat probari,
Tu Cannas Mithridaticumque bellum
Et periuria Punici furoris
Et Sullas, Mariosque, Muciosque,
Magna voce sonas, manuque tota.
Jam dic, Posthume, de tribus capellis.

Mart. VI. 19.

§. 223.

Ne tamen meras vetiti leges, prohibentesue

tesue ſcribere videamur, poſitiue ſuadetur materiis abſolute ſaltim magnis aequale et proportionatum adhibere COGITANDI GENVS, quod abſolute ſaltim, SATIS MAGNVM, et propoſito conducens, apteque haerens ex veritate rei dicere liceat. §. 177, 217. Erit autem illud ſimul GENVS COGITANDI SATIS DIGNVM, ſaltim abſolute, et negatiue, §. 182, 185, 193. ſimulque magnitudini dignitatique relatiuae ſuarum materiarum ſatis adaequatum, §. 162.

§. 224.

Hinc iam denuo diſſuadetur MINVS DIGNVM COGITANDI GENVS, ob defectum improportionatum obiectis et materiis, vel abſolute dignis, vel relatiue talibus, in ſuo βαθȣς genere ſpecies ſemper eminentior turpitudine, §. 217, 182. In diuerſis per hoc cogitandi genus ſpeciebus nunc animaduertendum eſt in VILE DE ABIECTIS COGITANDI GENVS humillimis ſuis obiectis §. 195. proportionatum et aequale, primi βαθους generis turpiorem ſpeciem. §. 221. e. g. Hor. ep. 8. Serm. l. 8. Cat. 15, 16.

§. 225.

Neque minus heic eſt reiicienda ſpecies, tumoris in primo genere quae poteſt locum habere, ſi nugis vere talibus, immo abiectis et humillimis, ſit tamen animus, neſcio

quid

quid, dignitatis, non eius abſolutae tantum, ſed et relatiuae, forſan et maieſtatis nonnihil, ſi diis placet, affricandi, §. 222. e. g. ſi quis paraſitus minuti alicuius Trimalcionis ligurierit ius, et reduce die, cuius nomen hic habet,

Jam longum inualidi collum ceruicibus aequat
Herculis Antaeum procul a tellure tenentis.

§. 226.

MORATVM COGITANDI GENVS LATIVS dicitur omne ἦθος §. 193. ſtrenue obſeruans. Ita ad Horatii A. P. 319.

Interdum ſpecioſa locis, morataque recte
Fabula, nullius veneris, ſine pondere et arte
Valdius oblectat populum meliusque moratur,
Quam verſus inopes rerum nugaeque canorae.

iam Acron annotauit, *fabulam recte moratam eſſe, in qua ſingularum perſonarum mores optime exprimuntur.* Magna pars autem omnis ἤθȣς in pulcre cogitandis demum propter veriſimilitudinem, deinde perſuaſionem, vitam denique, poſcitur, adeoque nunc nondum euolui poteſt per naturalem methodum ſcientiae, nec adeo nunc hoc ſignificatu moratum cogitandi genus licet exhaurire, vel, niſi per tranſennam et quaſi praecipiendo ſequentia, poſtulare, §. 22.

§. 227.

MORATVM COGITANDI GENVS STRICTIVS, dicitur aequalem dignis, vel abſolute ſaltim, vel etiam comparatiue, materiis ac obiectis, ſemper ad aequabilem proportionate cogitandi rationem ſeruans, et inde fauentem de cogitantis moribus praeſumtionem ſpectatori velut extorquens. Quintilianus Ciceronem in his ſe ſequi profeſſus *expoſitionem* poſcens *moratam: ſed in oratione*, addit, *morata debent eſſe omnia cum dignitate, quae poterunt.* IIII. 2. Et hoc iam eſt moratum illud cogitandi genus, quod non ſolum heic per antecedentia licet, ſed etiam neceſſe eſt poſtulare, ſi quis ad vere pulcra cogitata velit adſpirare. §. 182, 185.

§. 228.

GENVS COGITANDI BENE MORATVM STRICTIVS, erit denuo vel ABSOLVTE TALE, vel etiam comparatiue et RELATIVE, §. 227, 185. vel negatiue tantum, vel etiam poſitiue, §. 193, 194. Nunc ſufficiat argumentis, vel ex ipſa pulcritudinis forma, §. 183. deſumtis diſſuadere GENVS COGITANDI MALE MORATVM STRICTIVS, ſed ABSOLVTE, vel impium, vel inhoneſtum, vel indecorum, etiamſi vilibus humillimiſque forſan materiis turpiter electis proportionatum ſit. §. 224.

Si

Si bene te noui, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis speciem praebere professus amicum.
Vt matrona meretrici dispar erit atque
Discolor, infido scurrae distabit amicus.

Hor. I. ep. 18.

§. 229.

Hoc lubentius genus bene moratum in cogitando, quod strictius tale dixi, §. 227. sedulo distinxi a morato latius cogitandi genere, quo saepius obseruaui venusta ingenia per ipsum verisimilitudinis et morum felicius exprimendorum ardorem, i. e. dum aliquam partem de morato cogitandi genere sectantur, eo delabi, vt alteram perdant ex oculis, quam dignitas poscit, §. 227. absoluta, §. 228. vel ipsa a verisimilitudine suadens exceptionem non inelegantem, si vitari non possit vtriusque perfectionis collisio. §. 25. Hinc Iuuenalis obscenitas et multorum satyricorum aliorum licentiae.



SECTIO XVIIII.

TENVE COGITANDI GENVS.

§. 230.

Interest magnitudinis aestheticae, vt cogitationes exaequentur etiam relatiuae suo-

rum obiectorum S. XVII. magnitudini, §. 217. Hinc triplex nascitur cogitandi genus, cum duplici quodlibet sua παρεκβασει; quod in oratione tantum deprehendentes olim vel triplicem eius characterem, vel ideam, vel formam, vel etiam figuram omnino dixerunt.

Triplum dicendi genus est, sublime, modestum,
Et tenui filo. Aus.

§. 231.

I. TENVE COGITANDI GENVS (subtile, attenuatum, deductum, gracile, atticum, ισχνον) est tenuibus, §. 202. materiis ita proportionatum, §. 230. vt et absolutae dignitatis satis tenax, §. 223. et strictius, etiam relatiue, moratum, §. 228. simpliciter honesto viuendi generi non modo non contrarietur, §. 213. sed eius etiam moribus ex §. 211. 212. diiudicatis probe consentiat, §. 214. Huic iam dudum, Terentii tempore, *vetus poeta*, sed censor vitio creatus, obiecit, vt vitium:

Tenui esse oratione et scriptura leui,
Quia nusquam insanum scripsit adolescentulum
Ceruam videre fugere et sectari canes,
Et eam plorare, orare, vt subueniat sibi.

§. 232.

§. 232.

Cum hoc cogitandi genere laudabili, sed aesthetico tamen, multi, Cicerone duce, confundunt, de rebus grauissimis philosophice, quantumque fieri potest, scientifice disquirendi genus, quoniam in hoc conueniunt, vt vtrisque desit ille splendor, qui solet ambire grauiora phaenomena, vere bona, §. 211. et determinatissima quaeuis grandia, quae tantum non singularia, §. 212. e.g. *de diis immortalibus*, *de pietate*, *de concordia*, *de amicitia*, *de communi ciuium*, *de hominum*, *de gentium iure*, *de aequitate*, *de temperantia*, *de magnitudine*, *de omni virtutum genere* sit cogitandum. *Philosophis ego, vt de his rebus omnibus, in angulis, consumendi otii caussa, disserant, quum concessero: illud tamen oratori tribuam et dabo, vt, de quibus illi tenui quodam et exiguo sermone* (logico, §. 122. qua potiorem suam partem ad aesthetices regulas non exigendo, quas transcendit) *disputant, hic cum omni grauitate et iucunditate explicet.* (aesthetica) §. 124, 123. v. Cic. de Or. I. 56, 57. de Fin. III. 40. Or. 46.

§. 233.

Tenue cogitandi genus suos iterum gradus admittit, §. 231, quorum primum et infimum GENVS COGITANDI TENVICVLVM dixeris, §. 207. Exemplum esto *grammatica-*

matica, *partes alienas non occupans. Nam tenuis* (vel maxime) *a fonte*, quando

pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint vt discere prima.
Hor.

assumtis poetarum historiarumque viribus, plena iam satis alueo fluit, Quint. II, 1. neque tamen in omni disciplinarum ambitu surgit vltra tenuitatem, §. 202. Ad superiores tenuitatis gradus referamus orationem Ciceronis pro Caecina, quando eam ipse refert ad subtile cogitandi genus, temperato grauique contradistinctum.

§. 234.

Si suum argumentum et materiem felicius exprimat, tenue cogitandi genus, non inepte de eo dixeris:

In tenui labor, at tenuis non gloria. Virg.
cf. Prop. III. 1.

Habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consectentur, quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat, - - Habet suos laudatores, qui hac ipsa subtilitate admodum gaudeant. Cic. de cl. Or. 64. Neque sine naso sunt hi laudatores, §. 230, 202,

neque semper arcum
Tendit Apollo.

§. 235.

§. 235.

Neque generatim de triplici cogitationum charactere, quem nunc informamus, praeconcipienda est opinio, ac si per longiorem etiam meditationem aestheticam vnus ex his character in omnibus pulcre cogitandis ac singulis debeat aequabiliter transcurrere: neque de tenui cogitandi genere, §. 230. Opere in longo prout materiae necessario inaequales aliqualiter coniunguntur, ita habet illud et suam materiis proportionatam et apte haerentem cogitationum nunc ανεσιν et remissionem, nunc επαρσιν et eleuationem, manente totius denominatione ab illo charactere, qui regnat et potior est. §. 217.

§. 236.

In eadem oratione Cicero de Inu. II. 51. iubet *aliquas argumentationes tenuius, acutius et subtilius tractare, aliquos autem locos*, e. g. *facti atrocitatem augentes, et negantem malorum misereri oportere, ab accusatore, qui ostendat aduersariorum calumniam cum indignatione, quique misericordiam captet cum conquestione, a defensore*, tractari vult *grauius, ornatius, et cum verbis, tum etiam sententiis excellentibus.* Quis nescit soccum comoediae tenue, cothurnum tragoediae sublime cogitandi genus postulare?

 Inter-

Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore,
Et tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri
Telephus aut Peleus, quum pauper et exſul vterque
Proiicit ampullas et ſesquipedalia verba,
Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querela. Hor.

§. 237.

Tenue cogitandi genus iam Ciceronem ſubtile vocare vidimus, §. 233. et Quintilianus VIII. 3. expreſſe *ſubtiliter* et *magnifice* dicere ponit oppoſita. Quanquam id fiat ex alia ſignificatione ſubtilium, quam qualem exhibet M. §. 576. tamen ſimilitudo vocabulorum nonnihil forte contulit ad rerum etiam et acutiorum philoſophi diſtinctionum, cum tenuibus et minime graui cogitandi ratione confuſionem. §. 232. Non aſpernatur tenue cogitandi genus omnem ornatum, ſectatur potius non raro facetias et iocos, §. 202, ſed ſimpliciter honeſtos, §. 231. Hic character, ſi quis alius, ipſam fert ludicram cogitandi rationem, qua, inter alia, μικρα μεγαλως efferas ironice. Ita videtur Horatius in illos ludere, qui primariam υψȣς virtutem longas et magnas et ſonoras voces quaerunt, quando Serm. I. 2. ſtatim ab initio:

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,

Ohe!

Ohe! quam *ſeſquipedalia verba!* Sed perge, videbis ſimplicem tenuitatem.

§. 238.

Neque tamen in tenui cogitandi genere *ſubtile palatum* rerum gnari iudicis *acutiſſimum* aliquid *ſubtiliſſimumque* quaeſiuerit, partim quia tenuibus materiis, §. 231. ſummam acuminis perſpicaciaeque vim impendere parum abeſſet ab inani argutatione, M. §. 576. partim *iſta, quum veritas ipſa limatur in diſputatione, ſubtilitas,* vel prorſus non eſt horizontis aeſthetici §. 121. vel ſaltim moribus ſimpliciter honeſtis tantum et aeſthetice conceptis non ſatis eleganter congrueret, §. 231, 228. In tenui ſimplicius viuendi ratione moris non eſt *ſubtiliter magis, quam dilucide, dicere.* §. 213. Hoc ſignificatu cogitationum *elegans ſubtilitas*, ne *copioſe* quidem cogitandi rationi repugnans in temperatis potius, et ipſis arduis cogitationum characteribus quaerenda eſt, §. 230.

§. 239.

Attenuatum cogitandi genus forſan ex Ciceronis locis, vbi de tali dicendi genere loquitur, poſſet probari eſſe vnum ex mediis characteribus ſublatis et amplis cogitandi rationibus opponendum, ſi multus eiſe vellem in eruendis romanis cogitationum denominationibus. §. 231. Quando Horatius:

Rectius Iliacum carmen deducis in actus, e. c. videtur iam innuere epopoeian ipsis tragoediis ita grandiorem esse, vt res ex illa in hanc transumtae videantur attenuari. Hinc deductum simpliciter cogitandi genus vtique depressum ad tenuitatem vsque denotare videtur. Quale bucolicorum plerumque.

Quum canerem reges et praelia, Cynthius aurem
Vellit et admonuit: Pastorem Tityre, pingues
Pascere oportet oues, deductum dicere carmen, §. 155.

\- - - -

Agrestem tenui meditabor arundine musam. Virg.

\- - - -

Te nostrae, Vare, myricae, §. 180.
Te nemus omne canet. Virg. ecl. VI. 3.

Quando autem Horatius, *suamet vineta caedens, poetas*, inquit:

Nos lamentari non apparere labores,
Nostros, et tenui deducta poemata filo.
ep. II. 1. 225.

sine dubio voluit εἰρων intelligi ex §. 179.

§. 240.

Non Virgilius solum est
quondam gracili modulatus auena,
Aen. I. 1. sed in orationibus etiam ad Atticum

cum cogitandi genus referebatur gracilitas quaedam et subtilitas, §. 237, 238. quam propriam illis graecis, §. 56, ferebant imitari non posse romanos, §. 187. Hos ita solatur Quintilianus, XII. 10: N*on possumus esse tam graciles? simus fortiores.* M. §. 515. *Subtilitate vincimur? valeamus pondere.* M. §. 166. Recte simul monet, sinistre *his demum, qui tenui venula per calculos fluunt, Atticum saporem* tribui, *quia similis Lysiacae gracilitati credi* non possit Pericles (atticus), *quem fulminibus et caelesti fragori comparent comici, dum illi conuicientur.* Idem *gracilitatem* alio in loco *fabellis Aesopi* adscribit, *quae fabulis nutricularum proxime succedant.* Ob quas tamen, optimi ingeniorum aestimatores,

Aesopo ingentem statuam posuere Attici,
Seruumque collocarunt aeterna in basi, §. 234.
Patere honoris scirent vt cuncti viam,
Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.

Phaedr. II. 9.

§. 241.

Epistolas et dialogos generatim ad hoc cogitandi genus male vocant. §. 231. Esto: Cicero videbatur *plebeio sermone agere cum Papirio Paeto in epistolis.* Perge legere, et videbis hic plebeium ex notione strictiori plebis romanae, non vero ex ea, qua nos vile et abiectum ita dicimus aliquando, intel-

ligendum esse. Sed etiamsi pro *tenui* positum esset, an valet consequentia: Si Cicero ad Paetum tenui sermone vsus est: in nullis epistolis vltra tenuitatem est eleuanda cogitatio? Esto: *epistolas quotidianis verbis texere solemus.* Fam. IX. 21. An ideo nec licet quidem res, nisi quotidianas, litteris inserere? §. 96, 114. docebunt, quid subsit errori veritatis.

§. 242.

Virtutes in tenui dicendi genere numerant, 1) vel proprietatem, vel puritatem, 2) perspicuitatem, 3) probabilitatem, 4) euidentiam aliqui. Alii has omnes omnium pulcre cogitandi characterum communes esse dotes recte dicunt. §. 22. Proprietatem si ex mente priorum per absentiam troporum, et puritatem per absentiam ornatus concipiamus, haec inuoluet illam pulcritudo. Pari ratione perspicuitatem et probabilitatem, s. verisimilitudinem inuoluet euidentia, M. §. 531. Restarent itaque defectus ornatus et euidentia. Sed prior nec est virtus, nec est in omni cogitandi genere, quod tenue tamen est. §. 247. Posterior vbique requiritur ex duplici titulo. §. 22. Quid ergo restat huic characteri proprium? Vtrumque non solum, modo recte intelligatur, sed et plura. cf. Cic. Or. 76-90.

§. 243.

I. Puritas a sordibus, quae tenue cogitandi genus deprimerent infra magnitudinem et dignitatem aestheticam absolutam, §. 202. coniuncta cum cautione solicita omnis illius ornatus, qui cogitationes de tenuibus vel vltra terminos magnitudinis naturalis in sua materia, vel vltra limites dignitatis obiectis aptae, morumque simpliciter honestorum eleuaret, §. 231. II. Euidentia, quantam et ex parte verisimilitudinis, et ex parte perspicuitatis, et ex parte persuasionis, §. 22. exspectare possis assequendam ab omnibus simpliciter honesto viuendi generi deditis, §. 213. ab omnibus, inquam, in quibus indoli tali proportionalem ingenii culturam supponere licet. §. 45.

§. 244.

Promiseram plures tenui cogitationum generi proprias virtutes, §. 242. Vnam nunc adducere liceat exempli gratia. III. Rotunda ea breuitas, §. 166. quam ab homine simpliciter honesto, ingenii proportionate culti, §. 243. possis aequus exspectare. §. 231. nisi praestandam, non difficulter tamen capiendam et sobrio iudicio laudandam, si praestetur ab alio. Quantum haec differant, et interim tamen inter se conueniant, videamus in duplici Romae descriptione:

1) Vr-

I. *Vrbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putaui*
Stultus ego huic noſtrae ſimilem, quo ſaepe ſolemus
Paſtores ouium teneros depellere foetus. e. c. Virg. ecl. 1.

Hanc tenuiculam, §. 233. exſpectarem a quouis ſimpliciter honeſto, qui metro latino noſſet vti, quod non pertinet ad res. §. 18.

II. *Hoc, quodcunque vides, hoſpes, qua maxima Roma eſt,*
Ante phrygem Aeneam collis et herba fuit. e. c. Prop. IIII. 1-35.

Hanc in tenuibus maiorem, honeſto tamen cuiuis probe capiendam et ex ipſius ſimplici viuendi ratione minore in honeſtis eam tamen non inconſiderate probandam eſſe reor.

§. 245.

A tenui cogitandi genere probe diſtinguantur, 1. genus cogitandi de rebus, tenuibus quidem, abſolute tamen magnis, §. 202. ita easdem deprimens, vt contra ſuam naturam in meras nugas et naenias transformentur. §. 191. SECVNDVM ΒΑΘΟΤΞ GENVS, §. 217. et primum cogitandi genus NVGATORVM IN RE SERIA de rebus maioribus proportionatas tantum nugis cogitationes fouentium. cf. §. 221.

§. 246.

§. 246.

Non ſum neſcius characteri tenui ſolere, velut vnicum vitium opponi ſiccum et exile, aridum et exſangue, ieiunum atque friuolum cogitandi genus. Sed 1) habet et ſpeciem tumoris ſibi oppoſitam 2) ſiccitas nonnunquam non ſolum in ſeuerioribus etiam intellectus et rationis, purioris etiam, meditationibus a cenſoribus vitio creatis male reprehenditur, qui logicum et aeſtheticum cogitandi genus neſciunt diſtinguere, ſed in ipſis etiam aeſtheticis a iudice competente laudatur. Non prouocabo ad illam Plauti, quae *ſuum virum fuit rata ſiccum, frugi, continentem, amantem vxoris maxime.* Cicero, quando *cauendam oratori preſſo*, §. 239. *inopiam et ieiunitatem* §. 120, 128. ait, quomodo id fieri debeat, expoſiturus in exemplo Cottae, de hoc: *Nihil erat*, inquit, *in eius oratione, niſi ſincerum, nihil, niſi ſiccum, atque ſanum*, et pergit laudare. de. cl. or. 202. Sane hic ſiccum non vituperatur.

§. 247.

Quintilianus omnino videtur ſiccum inter laudes virilis dignitatis ponere, quando II. 4. optime ſuadet, vt *tenera adhuc aetas plura* S. VIII. *audeat, et inueniat, et inuentis gaudeat, ſint licet illa non ſatis ſicca interim ac ſeuera. Facile remedium eſſe vbertatis* (nimiae),

miae), *sterilia nullo modo vinci.* Macrobius *eloquentiam Maronis* laudat, *nunc siccam, nunc floridam.* Quando autem Gellius, XIIII. 1. se *sicca et incomposita* §. 113. *et propemodum vna oratione* dicit *attingere, quae Fauorinus non* sine *copia* et *venustate, latius, amoenius, splendidius et profluentius exsequutus* sit: vel hinc patet *siccum*, si vitio vertatur, latitudini potius et copiae, S. VIII. opponendam esse παρεκβάσιν, quam magnitudini aestheticae, S. XV. vel absolutae, vel relatiuae alicui. Verum saepius inueniemus et gnauos horum criticos extensionem pulcram et intensionem cogitationum venustam confudisse. §. 187.

§. 248.

Erit itaque SICCVM COGITANDI GENVS potius comparatiue breue, vel laude dignum, §. 246. S. XIIII. vbi parsimonia iusserit aesthetica, §. 164, 246. vel vituperio, si praestitisset latitudo quaedam aesthetica, §. 116, 247. Ex hac definitione intelligo Ciceronem de opt. gen. or. 12: *Si intelligentiam ponunt in audiendi fastidio.* §. 242, 243. *neque eos quicquam excelsum magnificumque delectat: dicant se subtile quiddam* §. 237. 238. *et politum velle, graue ornatumque contemnere. Id vero desinant dicere, qui subtiliter dicant, eos solos Attice dicere,* §. 240. *id est, quasi sicce et integre. Et ample, et ornate, et copiose, cum eadem integritate, Atticorum est.*

§. 249.

§. 249.

3) Exile ficco videtur esse paene totaliter synonymon, §. 246-248. si Plinium sequamur, cuius temporibus forsan theoria, theoriam dico, non praxin, altius euecta fuit aesthetica, ac ipso Ciceronis tempore. Hic enim V. ep. 17. quando: *Apte*, inquit, *et varie nunc attollebatur, nunc residebat, excelsa depressis, exilia plenis, seueris iucunda mutabat, omnia ingenio pari.* e. c. quis non videt, eum a) exilia etiam hic laudare velle, b) ea tamen non excelsis, sed plenis (relatiue i. e. latis et diffusis) contra distingui, c) excelsis potius expresse depressa contradistingui, et τῳ attolli residere. Neque dissentire videatur Cicero, quando *copiam exilem vberrimae* opponit.

§. 250.

Tunc etiam Cicero, quando in notatum §. 246. incidit errorem, exilis et sicci probat congruentiam, §. 249. dum de Or. II. 159. *Stoicus*, §. 122. ait, *multa reperit, quae negat vllo modo posse dissolui*, §. 121. *et genus sermonis* (primo et ipsius meditationis) *affert, non liquidum, non fusum, ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum* §. 121. *quod si quis* (intellectus et rationis purioris patronus) *probabit, ita probabit, vt oratori tamen aptum non esse fateatur. Haec enim nostra oratio* (aesthetica) *multitudinis est auribus accommo-*

 danda,

danda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur.

§. 251.

Nunquam concesserim, omnia esse *spinosa et exilia*, §. 249. quae sunt *longe a nostris sensibus abhorrentia*, §. 250. vtinam tamen in philosophorum cogitandi genere, quod distinctius et solidius esse debet, ac aesthetica, non tam facile esset, ad hunc vsque diem, exempla reperire, quibus hanc enormem confusionem tegere, vel etiam defendere possis, ac Ciceroni fuit exemplo, quod profert de Or. I. 83. Interim non excusatur Cicero, aut, si mauis, Crassus apud Ciceronem, qui *ieiune et exiliter* asserit *quosdam de iisdem rebus*, de quibus Democritus et Plato e. c. bene, *disputauisse, vti Chrysippum, quem acutissime ferant, neque ob eam rem philosophiae non satisfecisse.* de Or. I. I. 50. Pergit enim: *Quid ergo interest? aut qui discernes eorum, quos nominaui* (Democriti et Platonis e. c.) *vbertatem in dicendo et copiam ab eorum* (Chrysippi e. c.) *exilitate, qui hac dicendi varietate et elegantia non vtuntur? Vnum erit, profecto, quod ii, qui bene dicunt, afferunt proprium, compositam orationem, et ornatam, et artificio quodam et expolitione distinctam.*

§. 252.

Nam aut Chrysippus de iisdem rebus, de

quibus

quibus Democritus et Plato e. c. nudam veritatem expoſuerunt non nihil inuolutam aeſthetices peplo, adeo miſere philoſophatus eſt, ac Mneſarchus, de quo l. c. 83. et multo minus philoſophiae ſatisfecit, ac aeſthetices regulis; aut complete, grauiter, exacte, diſtincte, ſcientifice et, vt ita dicam, cogendo rationi intellectuique propoſuit in naturali breuitate ac ſimplici cultu, quae illi, Democritus, Plato e. c. per compoſitam orationem, ornatum artificium, et expolitionem (aeſtheticas), analogo rationis propinarunt, et minus ſine maturo iudicio ipſi obiicitur ieiunum et exile cogitandi genus, ac apte connexis oſteologi ſceletis, abdomen illis deeſſe. Verum quocunque ſe haec modo habeant, id tamen vel ex hoc Ciceronis loco colligas, exilitatem potius vbertatis defectum et ieiunitatem aliquam, §. 120. 128. ſignificare, quam magnitudinis dignitatisque maculam. §. 249.

§. 253.

Rem conficiet, arbitror, iudicium Ciceronis de Rutilio, de cl. Or. 114: *Sunt eius orationes ieiunae, multa praeclara de iure,* (res non tenues, niſi fallor). *Doctus vir et graecis litteris eruditus, Panaetii auditor, prope perfectus in ſtoicis,* (nec haec ad viuendi genus ſimpliciter honeſtum ex aeſtheticorum formula.) *quorum peracutum et artis plenum ora-*

tionis genus (nec haec tenuitatem sapiunt et illi similia, §. 237, 238. et stoicis tumor potius, quam nimia depressio conuenit), *sed tamen exile, nec satis populari assensioni accommodatum* (quia contra praecepta Zenonis non semper distinguebant practice satis, quae compressas in pugnum manus, quaeque desiderarent explicitas, §. 122.) Neque quicquam contra hanc Ciceronis decisionem moueo, nisi forsan contra vniuersalitatem, qua stoicis generatim exilitatem exprobrat. Si quis ex accuratiorum philosophorum acroamasi, quibus interfuit assiduus, eorum meditationem logicam et intellectualem strenue sequutus, descendit ad praxin et vsum aesthetice cogitandorum, ipsiusque cogitandi rationi non nihil adhuc adhaeret illius distinctae accurationis, logicaeque praecisionis, cui adsueuit, nunc nimium, et praesens in tempus omittendum, excusandus ipse forsan est aequis iudicibus, neque tamen eius cogitandi ratio, qua dialectica sapit, est defendenda, quasi pulcra et ipsa elegansque dici mereatur. §. 121, 124.

§. 254.

4) Aridum cogitandi genus ad vitium in tenui cogitandi ratione defectu peccans, §. 245. praesertim qua dignitate sufficienti destituitur, exprimendum paene dixerim aptiorem denominationem, ex hoc Ouidii loco:

Tu

Tu leuior §. 189. *foliis tum, quum sine pondere,* §. 177. *succi*
Mobilibus ventis arida facta volant.

Si quis tamen eandem vitiosam breuitatem, de qua §. 247-253. eodem notari putauerit, habebit rationes non contemnendas e. g. Quando Quintilianus II. 4. historicam narrationem esse vult, *neque aridam prorsus, neque ieiunam, neque rursus sinuosam et accersitis descriptionibus, in quas plerique imitatione poeticae licentiae ducuntur, lasciuientem.* §. 165. et addit: *Vitium vtrumque, peius tamen illud, quod ex inopia, quam quod ex copia venit.* (scilicet in pueris, §. 247, 248.) Quis hic non videt aridum esse vitium in defectu, quod luxurianti cogitandi generi, vitio in excessu peccanti, opponitur, vt eamus per medium inopiae persicique apparatus?

§. 255.

Dicam tamen apertius meam sententiam, qua ARIDVM COGITANDI GENVS latius omne illud esse iudico, quod obseruari potest minus virium ac roboris habere, M. §. 515. ac mascula pulcritudo requireret, cuius languidum cogitandi genus est quaedam modificatio. §. 111. Ex hac mente cogitationum ariditas erit φαινομενος omnis defectus, vel vbertatis, vel dignitatis, vel verisimilitudinis, vel viuiditatis, vel persuasionis, vel

vitae, quantas data pulcritudo requireret, §. 22.

§. 256.

Ex hac notione videtur Quintilianus II. 4. tantopere proteſtari contra *magiſtrum aridum*, eum comparans *ſiccis ac ſine humore vllo* terris, quae *teneris* potiſſimum *plantis euitandae* ſint. Si qui talem nanciſcantur pueri, fieri eos *humiles ſtatim, et velut terram ſpectantes, qui nihil ſupra quotidianum ſermonem attollere audeant*, (vel vbertate, vel dignitate, vel veriſimilitudine e.c. §. 255.), *maciem illis pro ſanitate, et iudicii loco infirmitatem eſſe, et dum ſatis ſtudent vitio carere, in id ipſum incidere vitium, quod virtutibus careant.* Ex eadem forte ſe dicit in inſtitutionibus ſuis aliquid *nitoris* et *iucunditatis admiſcuiſſe*, ne *ieiuna atque arida*, (quae ſaltim analogo rationis videretur eiusmodi) *praeceptorum traditio animos auerteret, et aures, praeſertim tam delicatas, raderet.* III. 1. cf. §. 122.

§. 257.

Quando idem VIII. pr.: *Neque Aſiani*, inquit, *aut quocumque alio genere corrupti res non viderunt, aut eas non collocauerunt: neque quos aridos vocamus, ſtulti aut in cauſſis caeci fuerunt, ſed his in eloquendo iudicium et modus, illis vires defuerunt! hos Aſianos, illos aridos* interpretor ex l. XII. 10. vbi de *aridis, exſuctis*

exsuctis (exsuccis) *et exsanguibus: Hi sunt,* ait, *qui suae imbecillitati sanitatis appellationem, quae est maxime contraria, obtendant, qui, quia clariorem vim,* M. §. 515. *eloquentiae, velut solem, ferre non possunt, vmbra magni nominis delitescunt.* de *Asianis* autem: *illis iudicium maxime et modum deesse.*

§. 258.

5) Exsangue cogitandi genus habeo in synonymis aridi, ex significatu, §. 255-257. quemadmodum *exsangue* generatim per *eneruatum* explicat Cicero: *Vt si gladium,* inquiens: *puero paruo, aut si imbecillo seni aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat. --- ita, quum hominibus eneruatis ac exsanguibus, consulatus, tanquam gladius, esset datus, qui per se pungere neminem vnquam potuissent,* e. c. Or. pro Sext. 24.

§. 259.

6) Ieiunum cogitandi genus est synonymon sicci, quando hoc in vitiis legitur. §. 248, 128. Ita Quintilianus, §. 254. et quando docuit *grammaticae*, poetarum interpreti, *musica, astronomia, philosophia, eloquentiaque non mediocri opus esse*, hac, vt res illarum *dicat proprie et copiose*, pergit: *Quo minus sunt ferendi, qui hanc artem, vt tenuem* (quod sinistri quid significans cum exili, sicco, subtili-

que, quando culpatur, coincidit) *ac ieiunam cauillantur*. l. 4 Pari ratione Cicero reprehendit opinionem vulgi, qua *Antonius ieiunior*, *Crassus* habebatur *plenior*, et Quintilianus obtrectatorum *Ciceronis* exponit maleuolentiam, quum a quibusdum eum dictum refert *ieiunum ac aridum*, ab aliis *Asianum et redundantem et in repetitionibus nimium*. Vituperari per inuidiam ob contraria

Aureae laus est mediocritatis.

Interim iure quodam talionis, conniuente veluti quadam Nemesi, priorem accusationem Ciceroni intentatam esse docebit §. 251, 252.

§. 260.

De posteriori accusatione ipse ita loquitur, vt denuo ieiunitatis notionem aestheticam satis figere videatur, quando Quaest. Tusc. II. 3. de suis orationibus: *Nonnulli*, inquit, *quum obruerentur copia sententiarum atque verborum, ieiunitatem et famem se malle dicebant, quam vbertatem et copiam. Vnde erat exortum genus Atticorum*, §. 240. *iis ipsis, qui id sequi se profitebantur, ignotum, qui iam conticuere, paene ab ipso foro irrisi.*

§. 261.

7) Friuolum cogitandi genus habeo in synonymis nugatorii, §. 221, 245. vt concedam

dam quidem secundum βαθυς genus esse friuolum, non autem omnia friuole cogitata posse huc trahi, quando defectum magnitudinis absolutae in iis, quae tenue cogitandi genus poscunt, consideramus. §. 246. Haesi non nihil in diducendis notionibus vocabulorum, quibus per varias linguas aequipollentibus plebs criticorum vtitur, conuiciorum instar, quae centesima non intelligit iis vtentium muliercula: vt, si quando fuerint sanis adhibenda criticis, aesthetici secum ante possint reputare, quid sibi probandum, et an id aperte satis exponere possint, in diiudicato locum habere, quod vocibus eiusmodi significatur.

§. 262.

In secundo βαθυς genere §. 245. turpior erit species materiam tenuem quidem, at satis tamen et magnam et dignam describi simpliciter honestis moribus conuenienter, deprimens in indignum, vel simpliciter honestis moribus, §. 224. VILE DE TENVIBVS COGITANDI GENVS. In hanc deformitatem Plautus saepius incidit, et vergit eo Virgilii Menalcas, qui, inter alia, durius exprobrata:

Quid domini facient, audent quum talia fures?
Nonne ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?

e. c. ecl. III.

 Sed

Sed retrahitur apta Damoetae primum admonitione:

Parcius ista viris tamen obiicienda memento,
e. c.

pergensque nihilominus, honesta inuitatione ad certamen musicum. Si admittamus eclogae sensum, quem ferunt, mysticum, Virgilio non imputabimus, si quid Menalcas primo crassius loqui videatur.

§. 263.

Tenue cogitandi genus vti omnes generatim maculas venustatem cogitationum deturpantes habet sibi oppositas, ita et §. 246-261. notatas, praesertim

Si succus pecori, si lac subducitur agnis.

Nunc autem παρεκβασεων ipsi propriarum curiosi tantum animaduertimus II. SECVNDVM TVMORIS GENVS de materiis tenuibus, aut tenuibus maiorum variis consectariisque maiores, vel vere, vel apparenter tales, concipiuntur cogitationes, ac earum et relatiua magnitudo et dignitas comparatiue minimae permittere videantur. Huius prima denuo species erit tenuia eo leuans, quo materias tantum mediocres adscendere phaenomenon sit, §. 208. secunda altius adhuc tollens §. 203. donec

Sublimi feriant sidera vertice.

§. 264.

§. 264.

Secundam tumoris, de quo §. 263. speciem Plautus exagitat exemplo *militis gloriosi*, qui *Pyrgopolinices* ita ſtatim ſcenam aperit:

Curate, vt ſplendor meo ſit clipeo clarior,
Quam ſolis radii eſſe olim, quum ſudum eſt,
ſolent, e. c.

parato reſpondere Artotrogo ſalutante *virum*

Fortem atque fortunatum, et forma regia,
Tum bellatorem: Mars haud auſit dicere
Neque aequiparare ſuas virtutes ad tuas,
cf. Ter. Eun. IV. 6. v. 3 - 5.

Ab eadem retrahit illud Quintiliani VI. 2: *In paruis (litibus) tragoedias mouere tale eſt, quale ſi perſonam Herculis et cothurnos aptare infantibus velis.*

§. 265.

Eandem ſecundam ſpeciem vt mire illuſtrat Petronii Trimalcio tunc etiam, quando non omnino nugas agere videtur, *caduceum tenens, Minerua ducente, ratiocinari diſcens, diſpenſator factus, et tandem in tribunal excelſum leuato mento a Mercurio raptus, cum ſuo lepore pinnis ſubornato, vt Pegaſus videretur,* e. c. ita primam, §. 263. pingit in Trimalcionis *diſpenſatore aureos numerante*, qui deprecantibus pro ſeruo ipſius: *Non tám*, reſpondet, *iactura me mouet, quam negligentia nequiſſimi ſerui. Veſtimenta accubitoria perdidit,* *quae*

quae mihi natali meo donauerat cliens quidam, Tyria ſine dubio, ſed iam ſemel lota. Quicquid ergo eſt, dono vobis.

* *

SECTIO XX.
MEDIVM COGITANDI GENVS.

§. 266.

II. MEDIVM COGITANDI GENVS (aequabile, mediocre, interiectum, et temperatum,) eſt de materiis mediocribus §. 208. ita cogitans, vt non earum ſolum magnitudini naturali, ſed et dignitati relatiuae morumque nobilitati non ſolum nihil repugnantis contineat, ſed etiam apprime conueniat et proportionatum ſit. An illud intermedium tenui ſublimique, an inter tenue et ſublime medium dici poſſit diſputant ad Cic. Or. 21. §. 208. Vbi Cicero: *Vno tenore*, ait, *vt aiunt, in dicendo*, (cogitando) *fluit, nihil afferens, praeter facilitatem et aequabilitatem.* e. c.

§. 267.

Video Ciceronem non ſua, ſed aliorum ex definitione loqui. Quum autem idem *orationum* ſuorum *forenſe* cogitandi *genus* diſtinguat *ab aequabili temperatoque* cogitandi *genere*,

nere, quod in libris *de philosophia* sequitur, de Off. I. 3. augetur multis suspicio, ipsum de medio §. 266. cogitandi genere loqui voluisse, quando de philosophicis sermo est, quum tamen orationibus generatim *vim dicendi maiorem* tribuat. Ex eodem errore genus hoc cogitandi medium historiis adscribitur, §. 126. quasi proprium et vniuersale singulis. AEQVABILE potius COGITANDI GENVS LATIVS dicitur suis vbique materiis congruens, cum illis se deprimens, cum iisdem surgens, STRICTIVS et comparatiue eas materias et eo respectu pertractans, vt tanta non opus sit varietate cogitandi respectu magnitudinis dignitatisque relatiuae, quanta phaenomenon fieret, si vel aliae res, vel eaedem, sed diuerso respectu, magisque vario, pulcre perpendendae essent.

§. 268.

Habet character cogitationum medius certam semper aequabilitatem, dum neque tenuitatis limites descensu neque sublimitatis terminos transcendit adscensu §. 266. sed non omnis aequabilitas in cogitando medium simul characterem exprimit, est etiam tenui, est sua sublimibus aequabilitas, §. 267.

§. 269.

Mediocre dixissem medium cogitandi genus, nisi duplex obstaret ambiguitas, 1) eorum,

rum, qui *mediocritatem illam* amant cum peripateticis, *quae est inter nimium et parum* quoque significatu omne laudabile mediocre est, 2) eorum qui non cum Horatio solum faciunt, quando edicit:

mediocribus esse poëtis
Non homines, non dii, non concessere columnae;

sed idem etiam ob similem rationem ad omnia venustius cogitanda trahunt, quae, quam primum a summa voluptate, vel paullum decedant,

Vt gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum et Sardo cum melle papauer,
Offendant, poterat duci quia coena sine istis:

Hoc significatu nullum laudabile mediocre est in aestheticis. Adeoque medium cogitandi genus illis non solum, his non bene, mediocre videretur. §. 266.

§. 270.

Temperatum idem cur dicatur cogitandi genus, §. 267. iam vidimus, quum vere TEMPERATVM COGITANDI GENVS, vel mediocritatem laudabilem in omni cogitationum vi, §. 22. significet, §. 269. LATIVS, vel STRICTIVS idem adhibitum tali themati inter eiusmodi respectus, in quibus vehementiores animi contentiones esse pulcrae

non

non possent. Primum est, quale exspectes cogitandi genus

Aequam valentis *rebus in arduis*
Seruare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia.

Quando Cicero de Or. II. 212: *Non est*, inquit, *vlla temperatior oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur, remissio autem lenitatis, quadam grauitate et contentione firmatur:* sane, medii cogitandi generis, de quo nunc loquimur praecepta dare non voluit. Mihi hic videtur loqui de genere cogitandi, quod temperatum latius dixi.

§. 271.

In Oratore autem 91-96. de nulla re certius loqui iudicetur Cicero prima fronte, quam de medio cogitandi genere, de quo nos etiam, §. 266. Interponit illud *humili et amplissimo, modicum* et *temperatum* appellans. Interim describit illud, *robustius quidem, ac humile, in quo tamen neruorum vel minimum, plenius humili, quam autem ornatum copiosumque, summissius, in quo loci communes sine contentione dicantur, quales* (oratores) *euadant fere e philosophorum scholis, quorum quisque per se probetur, nisi coram sit comparatus ille fortior,* (de quo deinde, *amplius copiosius, grauis.*) Jam hinc

hinc suspiceris temperatum cogitandi genus hic adhuc, vt medium vi ac robore, §. 270, generatim, et, vt ita dicam, in abstracto considerari, tunc demum laudem adepturum, vel vituperium, si viderimus, quibus applicetur materiis formisque cogitandi pulcre, quatenus inter se differunt, velut in concreto. Omnem dubitationem eximet ipse Cicero, tandem non temperatum dicendi genus in eloquentibus, sed eum demum *eloquentem* agnoscens, *qui humilia subtiliter*, S. XVIIII. *magna grauiter*, *mediocria temperate potest dicere.* Neque adeo temperatum Ciceronis genus, sed temperatum mediocria, (media, arbusta) cogitandi genus illud est, quod medium in vere pulcris dici mereatur, §. 266. idemque strictius erit temperatum ex significatu §. 270, 268.

§. 272.

Medium cogitandi genus admittit iterum suos gradus, §. 266. prout vel a tenui, vel a sublimi propius abest. Quemadmodum tenuium in bucolicis Virgilii, §. 239. Scaliger imum cogitandi genus, §. 233. deprehendit in *Moeri*, medium in *Gallo*, sublime in *Sileno:* ita in medio cogitandi genere, georgicorum eiusdem, imum denuo collocat, in *aratione* et *satione*, medium in *fabula Aristaei*, sublime in *pestilentia*. Pari ratione mihi videtur medium in aestheticis cogitandi genus,

genus, et medium in orationibus, §. 271. probe differre, quanquam nec nego vel huius esse denuo gradus. Ad hoc referuntur orationes Ciceronis *pro lege Manilia*, *pro Marcello*, *pro Cornelio Balbo*, *post reditum ad Quirites*, *et in senatu*. In quibus interim aliquam magnitudinis differentiam lubenter concedo.

§. 273.

Opere in longo medium cogitandi genus non excludit quaedam sublimia, quaedam tenuia, §. 235. Haec non ex pede, ac modulo §. 272. tantum, sed etiam, quae, sola si essent, non sine tumore, vel in mediis haberentur materiis. e. g.

saepe exiguus mus,
Sub terris posuitque domos, atque horrea fecit. Georg. I. 181. Virg.
Saepius et tectis penetralibus extulit oua
Angustum formica terens iter. Ib. 380.

Grandium mediis mistorum exemplum esto

Sol etiam exstincto miseratus Caesare Romam,
Quum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.
e. c.

nisi hic Virgilium Georg. I. 465-510. vere iusto nonnihil altius euectum velis concedere:

Vt, quum carceribus sese effudere quadrigae,
Addunt se in spatia, et frustra retinacula tendens,
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas, v. 512.

§. 274.

De aequabilitate medii cogitationum elegantium generis iam vidimus §. 268. Hinc in virtutibus ipsi propriis, ex relatione Ciceronis, §. 266. sola restaret facilitas. Sed quaenam haec sit virtus, et ita quidem concipienda, vt medio cogitandi generi sola sua maneat et propria? Non ago nunc Ciceronis interpretem. Indicabo potius, quam ipsa natura huius characteris facilitatem sibi peculiarem postulet, eam scilicet et tantam rotundae breuitatis mensuram, tantasque reliquarum venerum, §. 22. gratias nec minores, nec maiores, quantam quiuis nobile viuendi genus assequutus et proportionalem illi culturam ingenii facile se vel ipsum praestare, vel saltim sine longiori opera pulcre intellecturum deprehensurumque possit confidere, §. 266. si denuo abstrahamus a difficultate eloquutionis, §. 244. quae huc non pertinet, §. 18. Hinc et tantopere laudata Ciceroni suauitas in temperato dicendi genere, huic medio cogitandi generi tribuitur respectu spectatoris, in quo nobile viuendi genus licet supponere. Cic. Or. 91. §. 271.

§. 275.

§. 275.

Ob eandem facilitatem §. 274. restrictam iam vel medium cogitandi genus prudenter affectans, obiectum sibi personale, s. eos, quibus, quorumue in gratiam potissimum cogitet, non constituit, nisi quibus nobilem viuendi rationem eique proportionatam cognitionis venustatem liceat adscribere,

Non, *quodcunque semel chartis illeuerit, omnes*
Gestiet a furno redeuntes scire lacuque,
Et pueros et anus,

Non laborat, vt se miretur turba, vel omni honestate destitutorum, vel intra horizontem morum simpliciter honestorum cognitionisque, quae solet horum comes esse, subsistentium,

Contentus paucis lectoribus.

Si plures nanciscatur, vti fit, sequentes antecedentium gregem, qua itur, et nunc simul, casu paene fortuito, qua eundum est, his etiam suauis et facilis est, quantum illud citra βαθος fieri potest, interim tacitus cum Horatio sentiens:

Satis est equitem mihi plaudere.

Egregie vero falleremur, heic si vel solos, vel omnes, nobili loco natos animo concipere vellemus. §. 211-214.

§. 276.

Ab hoc laudabili medias materias cogitandi genere, §. 266. peccando diſtat in defectu TERTIVM ΒΑΘΟΥΣ GENVS easdem minoribus inferioribusque cogitandi rationibus explicans, quam quae mediae magnitudinis ac dignitatis obiecto conueniant. §. 217. Siue eius ſpecies prima ſubſiſtat intra eos tenuiter cogitandi limites, qui tenuibus non adeo inepte ſederent materiis, ſiue ſpecies eius ſecunda, ſecunda ſimul cogitandi ratio nugatorum in re ſeria, §. 245. deprimat omnino materiam ſuam mediocrem in ſphaeram nugarum et ineptiarum, §. 191.

§. 277.

Vtriusque ſpeciei exempla denuo Plautus dabit, quando *res arceſſit ex medio*, neque tamen non vel in humilem paene tenuitatem, vel omnino labitur in ſales illiberales.

Adſpice, Plautus,
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi,
Vt patris attenti, - - -
Quam non adſtricto, §. 235, 236. *percurrat pulpita ſocco!*
Geſtit enim nummum in loculos demittere, poſt hoc
Securus, cadat, an recto ſtet fabula talo.
Hor. II. ep. 1. 170.

Dum

Dum poſterioris praeſertim criminis reos agit Catullus,

Plenos ruris et inficetiarum
Annales Voluſi, 32. al. 36.

in idem, vel affine, vitium incidit, quod felicius vitauit c. 39. in materia ſatis ſimili, medium cogitandi genus pulcrius exprimens. Illud carmen volo, quod aliis 44:

O! funde noſter, ſeu Sabine, ſeu Tiburs, e. c.

§. 278.

Turpior vtriusque ſpeciei gradus eſt, praeſertim ſecundae §. 276. quando de mediis cum aliqua morum nobilitate, §. 213, 214. cogitandum eſt, cogitatur autem de iisdem pellucentibus vbique moribus vix ſimpliciter honeſtis, aut omnino diſſolutis et illiberalibus. Haec vltima erit ABIECTA DE MEDIIS COGITANDI RATIO. Taedet exemplorum obſcenorum, quo carmen Catulli 25. al. 29. et epithalamia ſexcenta. Huc potius ad primam ſpeciem illuſtrandam animus Menedemi in Ter. Heaut. Act. l. ſc. 1. tota, cui Chremes: *Habes*

Seruos complures. Proinde quaſi nemo ſiet,
Ita tute attente illorum officia fungere:

Ipſe de ſe a. V. ſc. 1:

In me quiduis harum rerum conuenit,
Quae ſunt dicta in ſtultum: caudex, ſtipes,
aſinus, plumbeus.

§. 279.

A medio cogitandi genere, §. 266. in excessu recedit TERTIVM TVMORIS GENVS obiecta media tantis exornans cogitationibus, quantas sublimia sibi solis vindicare ius habent. Huc literatorum, qui se solos cum suis aliquid putant, parenthyrsi, quoties sua cogitant, doctores scholasticorum Seraphici et irrefragabiles, succedentes his dictatores perpetui, imperatores maximi, et magistri equitum reipublicae litterariae, qui nunquam, nisi cum Cicerone, loquuntur, nec in quenquam, nisi velut in Catilinam, qui oppidis, vbi scholas habent, forum, rostra, capitolium, capitolio patres conscriptos et consules, consulibus sellas curules fasces, secures, sibimet ipsis triumphos tribuunt atque decernunt ex animi sententia.

Tune Syri, Damae aut Dionysii filius, audes Deiicere e saxo ciues, aut tradere Cadino?

Hor. l. Serm. 6.

§. 280.

Ex his vitiis §. 276 - 279. inter se confusis nascitur demum FLVCTVANS ET INCERTVM COGITANDI GENVS, quatenus medio cogitationum opponi characteri meretur, quando aliquis medium cogitandi genus meditando sectatus, dum non potest assequi, nunc tenuium, nunc sublimium obie-

ctorum

ctorum in limites vagatur, vbi pedem figat, gradumque sistat, ignarus, Frustra natura generis, quod elegit, eiusmodi ingenio suadet, quod pater Phaetonti;

Nec preme, nec summum molire per aethera currum:

Phaëtonti tamen simile et

Hoc *modo summa petet, modo per decliua, viasque*
Praecipites spatio terrae propiore feretur.
Ou. Met. II. 205.



SECTIO XXI.

SVBLIME COGITANDI GENVS.

§. 281.

III. SVBLIME COGITANDI GENVS, (magnificum, magnum, altum, summum, plenum, cf. §. 158. graue, copiosum, cf. §. 116. ornatum, validum, μεγαλοπρεπες, αξιωμα, υψος, υψηλον.) est suis vere grandibus cogitandi materiis, §. 203-207. ita congruens, vt iisdem simul satis dignum §. 223. et optime moratum, §. 228. non modo non contrarietur heroicae virtuti, rationique cogitandi, quam haec comitem, nisi ducem, habere solet, sed et moribus singulari cum maie-

maiestate coniunctis probe consentiat. §. 213. 194.

§. 282.

Non per iocum solum Terentius iubet *Dauum sublimem intro rapi, quadrupedemque constringi*, sed et Horatius ridet.

Hunc, *dum sublimis versus ructatur, et errat,*
Qui, *veluti merulis intentus, decidit, auceps*
In puteum, foueamue.

Nobis heic serio, suoque loco locata sublimitas exploranda est. e. g. *Non fortibus solum, sed etiam fulgentibus armis praeliatus in caussa est Cicero Cornelii, quum assequutus esset dicendo, vt populus romanus admirationem suam, non acclamatione tantum, sed etiam plausu, confiteretur. Sublimitas, profecto, et magnificentia, et nitor, et auctoritas expressit istum fragorem. Nec tam insolita laus esset prosequuta dicentem, si vsitata et caeteris similis affuisset oratio.* Quint. VIII. 3. Huc comparatio Elegiae et Tragoediae, Ou. Am. III. 1. vbi illa fatetur:

Non ego contulerim sublimia carmina nostris,
Obruit exiguas regia vestra fores.

§. 283.

Magnificum adhuc saepius adhaerente conceptu superflui et ostentationis, quasi leuis notae macula quadam, adspergitur. Ita Cliti-

Clitipho apud Terentium, Heaut. I. 2. gratulatur Cliniae, qui

Habet bene et pudice eductam, ignaram artis meretriciae.

Mea, addens, *est potens, procax, magnifica, sumtuosa, nobilis.*

Pari ratione Tibullus: II. 6.

Castra peto, valeatque Venus, valeantque puellae.

Et mihi sunt vires, et mihi facta tuba est.

Magna loquor. Sed magnifice mihi magna loquuta

Excutiunt clausae fortia verba fores.

redituurus ad humilem suam querimoniam l. 5:

Vre ferum et torque: libeat ne dicere quicquam

Magnificum posthac, horrida verba doma.

Clarius Cornelius, a quo laudatur *Atticus, elegans, non magnificus, splendidus, non sumtuosus, qui omni diligentia munditiam non affluentem, affectarit, supellex modica, non multa, vt in neutram partem conspici posset.* Ipse Cicero, magnifici patronus contra Atticos vel quasi, §. 248. non abstinet ab hac vocis sequiori significatione. Pro Rosc. Com. 5. *Vsque eone te diligis, et magnifice circumspicis?* eum alloquitur, quem mox accusabit amentiae.

§. 284.

Nobis autem hic magnificentia cogitatur, §. 281. ex descriptione Ciceronis de Inu. II. 163. *rerum magnarum et excelsarum, cum animi ampla quadam et splendida propositione, agitatio atque administratio.* Secundum quam *magnificentiae publicae* amantem dicit, inimicum *priuatae luxuriae*, §. 281. 165. *populum Romanum*, Or. pro Mur. ex qua rectissime, Off. I. 72: *Capessentibus*, inquit, *rempublicam, nihilominus, quam philosophis, haud scio, an magis etiam, et magnificentia, et despicientia adhibenda sit rerum humanarum, quam saepe dico, et tranquillitas animi, atque securitas, siquidem nec anxii futuri sunt, et cum grauitate constantiaque victuri.* Secundum eandem notionem magnificentiae concedit eam et vitae priuatae cum simplicitate simul conuenire posse §. 213. philosophus, I. c. 92. *Haec praescripta* (vitae priuatae) *seruantem licet magnifice, grauiter, animoseque viuere, atque etiam simpliciter, fideliter, atque vitae hominum amice.* Ex eadem concipio verissimum Agamemnonis effatum apud Petronium, *sibi nihil esse magnificum, quod pueris placeret.*

§. 285.

Hinc igitur colligamus, quam animo sibi formauerit ideam de magnifico cogitandi genere orator, qui et ipse sciuit, et subinnuit

I. II.

l. II. de Or. 89. se eius quasi quoddam exemplar esse, dum narrat *Sulpicium*, qui loquentem et Crassum imitari promiserat, *omnino in illud genus Crassi magnificum natura ipsa ductum esse*, S. II. *quae tamen* addens, *non satis, proficere potuisset nisi eodem studio atque imitatione incidisset, atque ita dicere consuesset, vt tota mente Crassum atque omni animo intueretur*. Hinc eius primum praeceptum imitatio. §. 56.

§. 286.

Nec caret ambiguitate sua *magni* denominatio, §. 291. Non huc traham magnum hominem aliquando pro stolido dictum videri, §. 179. Sane, in laudem non dici magnam linguam ab Horatio mythologia docet, vbi sic Apollinem alloquitur:

Diue, quem proles Niobea magnae
Vindicem linguae, Tityosque raptor
Sensit. IV. od. 6.

Nec *magnos* Iuuenalis *amicos*, nec *magnos* Horatii *pueros* sincere laudari hac appellatione puto. Interim bona fide magnum relatiue comparatiueque §. 178. cogitatum dicamus vere magnis apte congruens, §. 291. Ad huius penitiorem intellectionem notemus adhuc ad §. 203-207. de magnis materiis 1) *alia clariora esse, alia maiora*. Cui effato confirmando totam ep. XVI. l. III. destinauit Pli-

Plinius, illuſtrans huc facientibus exemplis. 2) huc pertinentia magna vix veriſimilia videri plurimis. Horatius cuidam

noto ſibi nomine tantum

narrat apud Maecenatem ſibi non opus eſſe ſubmouere alios, vt in gratiam eius intimius penetret, nec *officere*,

Ditior hic, aut eſt quia doctior. Eſt ſuus vni-
Cuique locus. Magnum narras, vix credibile.

Ille, neſcio quis, regerit.

§. 287.

Altum cogitandi genus, §. 291. et nimis altum §. 217. 218. ne confundantur. Illud pingit Horatius, IV. od. 9.

Iudex honeſtum praetulit vtili, et
Reiecit alto dona nocentium
Vultu, et per obſtantes cateruas
Explicuit ſua victor arma.

Et Cicero Tuſc. quaeſt. II. 11. *Fortes non modo fortuna adiuuat, vt eſt in veteri prouerbio, ſed multo magis ratio, quae quibusdam quaſi praeceptis confirmat vim fortitudinis. Te natura excelſum quendam videlicet, et altum, et humana deſpicientem genuit. Itaque facile in animo forti contra mortem habita oratio inſedit.* e. c.

§. 288.

Copiosum ac plenum cogitandi genus si quos pro sublimi habere videas, §. 281. memor, §. 247, 187. quid assertis insit veri diiudicaturus oculos mentis ante omnia figo in virtutis huic cogitandi generi propriae et peculiaris summam veluti formulam: Tantum rotundae breuitatis, tantum verisimilitudinis, e. c. §. 22. neque plus, neque minus, in grande tuum thema cogitando confer, quantum quemuis ad heroicam virtutem et huius comitem, cogitandi rationem, ingeniique eleuationem euectum, vel ipsum thematibus eiusmodi adspersurum fuisse, vel saltim ab aliis allatum pulcre intellecturum esse possis confidere. §. 281.

§. 289.

Hinc sublime cogitandi genus multo adhuc minus, ac medium, §. 275. quemuis ex turba sibi spectatorem, obiectum personale, legit, et eum, cuius in gratiam potissimum cogitet. Minima nec ingenia, nec pectora, curans admodum, nec veritum oculos huiusmodi praestringere potius, quam reficere, duplex mortalium genus suum sibi templum quasi designat, in quo delectando grauiter laboret. 1) Summos homines non ingeniis solum superioribus excellentes, sed et indole praeclaros et maiestatem in moribus singularem consuetudine velut alteram quandam natu-

naturam, adeptos. His vbi cogitat de rebus grauiſſimis, in quibus illi tamen verſari quotidie, quibus familiares eſſe, in quibus quaſi habitare ſupponendi ſunt. Eleganter et magnifice cogitat, et plene quidem atque perfecte, §. 158. tantum tamen abeſt, vt eximia quadam cum copia, meditationisque manifeſta latitudine cum iisdem ſua communicet, vt potius relatiuae etiam breuitatis, S. XIIII. ſtudioſum ſit et Laconiſmi vere grandis.

§. 290.

Iupiter ad Mercurium poſt breuem expoſitionem eorum, quae diſpliceant in Aenea, Virg. Aen. IV. 236:

Nauiget. Haec ſumma eſt, hic noſtri nuncius eſto.

Mercurius fidus parentis interpres ad Aenean, caetera quum exprobrando retuliſſet, hoc ne ipſum quidem adeo breue mandatum expreſſe addit, v. 275. quoniam pius Aeneas illud ex expoſitis potuit colligere:

Ardet abire fuga, dulceſque relinquere terras
Attonitus tanto monitu imperioque deorum.
Mneſthea Sergeſtumque vocat fortemque Cloanthum
Claſſem aptent taciti, ſocios ad littora cogant,
Arma parent, et, quae ſit rebus cauſſa nouandis
Diſſimulent. v. 290.

Satis-

Satisne breuiter magnus Aeneas ad primos ſociorum de rebus magnis, quarum hi dudum periti erant?

§. 291.

2) Alterum hominum genus, quibus ſublime cogitandi genus ſeruire potiſſimum et placere ſtudeat, §. 289. illi ſunt, qui vel ad ſupra deſcriptos, aeſthetico ſaltim, referri poſſe videantur, excelſam tamen aliquam et inſigniter ſublimem rem adhuc ignorare, aut omnino per errorem vilipendere ſupponendi ſunt, vel igniculos quidem magni animi heroicaeque virtutis gerunt ſub pectore, habentes, quod ad ſublimia quaeuis erigi poſſit ac incitari, non tamen habent ſemper in promtu, quantum ſatis eſt maganimitatis praeſentis ad grandia quaedam, ſibi ſatis noua, vel breuiſſime ſibi expoſita, ſtatim amplectenda, quo merentur, impetu. §. 288. Vtrisque ſublime cogitandi genus iam ſalua grauitate, non vbertim ſolum, ſed etiam copioſius, inauditam materiae ſuae magnitudinem, ampliſſimam dignitatem, incredibile pondus, et diuino quodam ardore digniſſimam maieſtatem, exquiſitiſſimarum figurarum in ornatu pudico ac matronali, ſplendide declarabit. §. 116.

§. 292.

Iam fingamus nobis mente, vel Athenienſes

ſes, quibus Demoſthenes, vel romanos, quibus Cicero ſuis in orationibus de ſublimibus aliquando vere pulcre cogitare laborarunt. Vel ſubſtituamus etiam illis, ex noſtra viuendi ratione, concionem de grauiſſimis ſacrorum momentis habendam. Quam hic pauci cogitari poſſunt ad primum obiectorum perſonalium genus §. 289. pertinentes? Ex iis autem ipſis, quotquot ſint, eſſe tamen quidam poſſunt, qui, caeteroquin optimi, rigidique virtutis ſeuerioris, aut boni publici ſtrenui defenſores, id interim, de quo nunc agitur, praeſertim admodum determinatum, vel omnino ſingulare ſi ſit et indiuiduum, nunc forſan ignorantes, nunc omnino contra illud praeoccupati, parum illi pretii exiſtimationisque tribuerent, niſi meliora doceremur. §. 291.

§. 293.

Reliqui omnes, quorum in commodum orator ſublime cogitandi genus poſſit ſuum facere, erunt, in quibus generoſiores vtique latent inſtinctus, ſunt, quae poſſint diuina luce colluſtrari ſacrisque incitationibus inflammari, nunc autem bona pars minus attenta, alii ſatis remiſſo cum animo accedunt, vel ideo, quia ſibi nota iam ſatis temere ſtatuunt, quae ſint audituri. His circumſtantibus vtique ſublime cogitandi genus oratoris, cuius ad haec voces bene multae poſſunt audientem

dientem transuolare, quas lector iterata forte lectione maturius perpendisset, §. 170. multum copiae, multum vbertatis et amplitudinis ad perfectam suam plenitudinem requiret, et latitudinem paene platonicam, §. 158, 116.

§. 294.

Tragoediae adhuc magis necessariam cum sublimitate sua copiam et vbertatem etiam comparatiuam fecit

grata nouitate morandus,
Spectator, functusque sacris, et potus, et exlex,
§. 297 - 293. H. A. P.
Quod numero plures, virtute et honore minores,
Indocti, stolidique et depugnare parati,
Si discordet eques, media inter carmina poscunt,
Aut vrsum, aut pugiles. His nam plebecula gaudet.
Verum equiti quoque iam migrauit ab aure voluptas
Omnis ad ingratos oculos et gaudia vana.
Hor. II. ep. 1. §. 275.

§. 295.

Quae quum ita se habeant, contrahamus in neruum controuersiam. §. 288. 1) Est quoddam sublime genus cogitandi, quod simul,

mul, non plenum solum, sed et copiosum est, illudque si semel relatiuae breuitatis fines transgressum est, gnauiter oportet esse locuples, apparatusque vere regios et magnificentiam publicam testatos exponere, §. 289-294. 2) non omne sublime cogitandi genus simul copiosum est, §. 289. in relatiue magnis potius maxima relatiue etiam breuia, §. 207. 209. 3) non omne copiosum dicendi genus sublime est. S. VIII. §. 281. Adeoque copiosum et sublime desinant in synonymis habere, qui nolunt Asianorum titulis condecorari. υψος αποτομον in Demosthene, εν χυσει Ciceroni plerumque tribuit Longinus. S. XII.

§. 296.

Sublime cogitandi genus *graue* (δεινον) si dicitur, §. 281. de relatiua quadam et comparatiua grauitate, graduque eius maximo denominationem accepit, quoniam omnis magnitudo aesthetica postulat etiam aliquam, absolutam certe, grauitatem, §. 189. Si dicitur ornatum, §. 281. ambiguitas tolli potest ad imitationem §. 295. et emendatur plerumque per adiectum, quasi synonymon, aliud vocabulum. e. g. *ornatum* et *graue*. *Ornatos in dicendo grauesque viros* Scaeuolae apud Ciceronem de Or. I. 42. si interpretemur, sublimitatem attingere qui cogitando dicendoque possint, videbimus eos recte mediis interpositos philosophis refutare *Crassum*,

ſum, qui oratorem in omnis ſermonis diſputatione copioſiſſime poſſe verſari, quaſi ſuo iure ſumſerat. §. 125. Augeretur inconcinnitas a Craſſo aſſerti, ſi copioſiſſimum et ſublime confunderemus, §. 295. et ornatum, l. c. 50. §. 257.

§. 297.

Sublime cogitandi genus qui tandem *validum* dicunt, §. 281. denuo videntur de relatiuo quodam et comparatiuo robore loqui velle, quod huic vtique cogitandi generi ſummum generice debet adſcribi, §. 288. Iam tenue poſcit aliquid neruorum ac ſanguinis, §. 242-244. plus medium, §. 274. ſublime plurimum. M. §. 515. Videamus inſignem eius vim et efficaciam paullo diſtinctius, vt eandem a ſpurii ſublimis larua ſit hoc facilius diſtinguere.

§. 298.

1) Habet ſublime cogitandi genus ſummas generice diuitias, §. 158, 288. quas nonnunquam paene omnes relinquit, §. 160. vnico veluti, ſed pretioſiſſimo, tantum adamante fulgens, §. 289. vnde tacitus tecum concludas ad opes reliquas, §. 177, 148. non nunquam magnificentius exponit, §. 293. Vnde tunc περιαγωγαι και περιβολαι, circumducta quaedam et accumalata meditandi ratio, non ſine ſynathroismis, §. 148. Neque tamen omnis ſublimis, nec in ſublimi-

 bus

bus ſumma, meditatio circumducta eſt et accumulata, multo minus omnis circumducta meditandi ratio, et adhuc minus longitudo quaedam et diffuſio diſtorſioue ſignorum tantum e. g. dictionis et vocabulorum, grandis atque ſublimis eſt. §. 295. Ariſtophanes habet vocabulum ſex verſuum, et repit Plauti

Quodſemelarripidesnunquampoſteaeripides,
§. 237.

§. 299.

2) Magnitudinem cogitandorum, etiam naturalem, §. 181. eam ſeruat, quae nec comparata primario themati, perſoniſue vel loquentibus, vel obiectis perſonalibus, in nihilum comparatiuum abeat, euaneſcens, e. g. §. 198. nec e contrario ſub eadem comparatione illa, quae iam dixi, primarium thema, e.c. quando ſemper in magnis maxima legitur magnitudo cogitandorum quorumuis, ſi grandia quidem illa, thema, e. c. fuerint, neque tamen in magnis maxima, §. 207. eleuet potius, obſcuret, et minuat, quam amplificet, ornet et extollat. Par eſt ſublimi cogitationum generi cura dignitatis generice maximae, ſed in maxime dignis gradus ſimul, vt ita dicam, ſpecifici, §. 207. ne tollatur altius, aut deprimatur, ac et hic requirit, earum etiam partium laterumue, ex quibus eximia contemplanda ſunt, vt talia, ſedulo cautis vergentibus ad mediocritatem, vel omnino tenuitatem variis lateribus

ribusque cogitandi non male electi, §. 215. nisi opere in longo habeat aliquando locum et hic. §. 235.

§. 300.

Exemplum huius cogitandi generis Cicero ipse suam orationem pro Rabirio citat, eodemque iure suo referuntur oratio pro Milone paullatim surgens, Catilinaria II. Philippica II. et in Pisonem. In Aeneide imum ex grandibus cogitandi generibus Scaliger in descriptione ludorum L. V. medium L. I. summum L. II. et VI. deprehendit. Liceat ex sacris exemplum addere. Sit magnum in maximis, quod Longino S. IX. vehementer placuit: *Sit lux et fuit.* Maius est: Τετελεςαι. Maximum: *Sit deus omnia in omnibus.*

§. 301.

3) Sublime cogitandi genus verisimilitudinem, §. 22. sed eam proprie tantum sectatur, quae ingeniis superioribus et animis erectioribus comprehendi probarique possit, §. 288. licet eadem plebeculae sit vix credibilis, §. 286. nec apud nobiles sic satis animos facilem inueniat fidem. §. 213. Quam suam verisimilitudinem aut tacitae spectatoris αναθεωρησει, §. 177. relinquit, §. 289. aut eam adeo luculenter probat, §. 291-294. vt abhorrens primo, vel maxime a sensibus nostris, nunc tandem, non solum, non odium, sed

ſed etiam admirationem et deſiderium ſui pariat veritas. §. 293.

§. 302.

Sublime Pompeii dictum, quum diſſuadente nauta per tempeſtatem nauem conſcenderet: Proficiſci me neceſſarium eſt, viuere non eſt neceſſe, contradictionis apertae damnat Gallorum nonnemo. Neque defendat, Pompeio aequalis animus, nec accuſet Caeſar aliquis, vel hoſtis. Ambo enim pulcre intelligent. §. 288, 301. *Magnum eſt efficere, vt quis intelligat, quid ſit illud verum et ſimplex bonum, quod non poſſit ab honeſtate ſeiungi.* Cic. qu. ac. l. 7. Quod bonum quale ſit, ſane, non ſolus *Epicurus* verbis *negat ſine voluptatibus ſenſum mouentibus ſe ſuſpicari poſſe*, ſed plures ad hunc vſque diem factis, inter eos etiam, in quibus ſummos mores et virtutem excellentem ſuſpicetur aeſtheticus. Neque tamen illius nuda veritas *acute, argute, obſcure*, vti videatur analogo rationis, §. 121. *ſtudio philoſophiae* ſeueriori *diſſeritur* tantum, *quo nullum* Varroni Platonique videtur *maius aut melius a diis datum munus homini:* ſed iam etiam aeſtheticis et vere ſublimibus tot meditationibus eſt expoſita, et exponitur paene quotidie, eiusdem veriſimilitudo, vt ex hac parte rerum humanarum parum aut nihil ſupereſſe deſiderandum videatur. §. 301.

§. 303.

§. 303.

4) Summa in luce magnum hoc exſplendeſcit cogitationum genus, §. 22. ſed in ea, cui ferendae, cui capiendae, cui fruendae potiſſimum aquilarum oculi requirantur §. 288. Quos aliquando iam ſupponit, §. 289. et eo ſplendore ſatiat, ad quem ipſa caecutiat Mineruae noctua, aliquando mira arte naturaliter bonos nondum tot radiis imbibendis adſuetos, vel etiam deſuetos iterum, ita ſenſim allicit, et blande paſcendo ſimul acuit atque confirmat, vt tandem ibi ſolem meridianum, plana ac perſpicua omnia mirentur, vbi caecitatem et tenebras et obſcuritatem non ita multo ante ſibi deprehendere viſi erant. §. 291.

§. 304.

Vt hanc veriſſimam ſublimium lucem, obſcuritatem apparentem, poſſis in exemplo dignoſcere a tenebris, lege, ſis, vaticinium Sibyllae Aen. VI. 83-97. vbi priuilegium quaſi poeta habuiſſet obliuiſcendi verae perſpicuitatis ob veriſimilem oraculorum caliginem. Quamuis et ipſe dicat

Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla,
Horrendas canit ambages, antroque remugit
Obſcuris vera inuoluens,

tamen deprehendes vere ſublimia, quae nec nunc, quid ſibi velint, quantumque habeant

ponderis, quiuis ex plebe litteratorum intelligat, interim nihil obscuritatis in verbis et ratione cogitandi, praeter id, quod in futuris ordinarium est, et ob deficientem omnimodae determinationis eorundem notitiam in homine, vel maximo, mero tamen homine, vehementer necessarium, adeoque post euentum et impletionem historiae fabulaeue perito satis peruium.

§. 305.

5) Sublime cogitandi genus persuadet, §. 22. sed iis persuadendis tantum, certe potissimum, laborat, quorum iam intimis praecordiis inseuit virtutis rectorumque morum semina, cum certitudine, magnitudo pectoris, §. 45. insignior. Quibus non cognita solum, sed et ipsorum caussa non indigentia probationibus quum insint principia: his nunc tribus, quod aiunt verbis, aut omnino vel vnico, instruit, quasi immotis fundamentis suam persuasionem breuissimis, nunc pro diuersa obiectorum suorum personalium conditione, §. 289-294. tot pondera, tot sententias, tot firmamenta congerit in certius reddendum suum thema, non illa trita, sed magni quid semper spirantia, vt maiores animi plenissime persuadeantur, minores obruantur, et ad prudentissimum, quod ab ipsis sperari potest, ad silentium compellantur.

§. 306.

§. 306.

Exemplum persuasionis, et eius quidem efficacissimae, per vnam vocem habet Suetonius in Caesare. 70. *Decumanos Romae cum ingentibus minis, summoque etiam vrbis periculo, missionem et praemia flagitantes, ardente tunc in Africa bello, nec adire cunctatus est quanquam deterrentibus amicis, neque dimittere. Sed vna voce, qua Quirites eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit et flexit, vt et milites esse confestim responderint, et quamuis recusantem vltro in Africam sint sequuti.* Paullo fusius persuasit idem Caesar, verae sublimitatis aestheticae peritus, metum imminentis hostis suos deponere *amplificando ementiendoque* copiarum eius numerum, 66.

§. 307.

Pollio Asinius parum integra veritate compositos putat commentarios Caesaris, 56. quantum tamen inest pierisque, quae scribit, persuasionis? Putares eos legens rectissime fecisse, qui, Catullo si fides est, nihil potuit,

Nisi vncta deuorare patrimonia.

Non deterreor eorum opinione, qui hos commentarios humiles iudicant, quo minus eorum heic mentionem faciam. Quoniam eorum verba satis et pueri capiunt et aliquem sensum, quantum possunt pro aetate, non sunt ideo humiles, non tenue cogitandi

genus demonſtrant, et, niſi omnem tibi hiſtoriam placeat medium cogitandi genus amplecti debere, §. 267. nullus dubito, quin ipſis aequabile quidem cogitandi genus, §. 267, 268. et temperatum §. 270. adſcribam, et, cum Cicerone, *nudum, rectum, ac omni ornatu orationis, tanquam veſte detracta, venuſtum,* ita tamen, qua res, ſublime, vt, *dum voluit* (aut velle ſimulauit) *alios habere parata, vnde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam, ineptis gratum fortaſſe fecerit, qui illa volunt calamiſtris inurere, ſanos quidem homines a ſcribendo deterruerit.*

§. 308.

6) Sublime genus cogitationum in eo regnat, vt animos, ſed generoſioris impetus capaciores, §. 289-294. nunc in ſummam inflammationem et diuinum paene furorem incitare, nunc a turbulentiſſimis animi commotionibus ex re quapiam minutula ortis retrahere decoram ad ſerenitatem et altioris ſpiritus tranquillitatem valeat, §. 288. pro vti, vel hic, vel ille ſtatus animorum heroibus eſt conuenientior. §. 213.

§. 309.

Aeneas, l. II. fruſtra diſſuadente Hectore in ſomnis, v. 295. *arma amens capit,*

furor iraque mentem

Prae-

Praecipitant, pulcrumque mori succurrit in armis, v. 315.
Otriadae dictis in flammas et in arma fertur, quo tristis Erynnis,
Quo fremitus vocat, et sublatus ad aethera clamor. v. 338.
Addentes se socios, per lunam oblatos, alloquitur.
Sic animis iuuenum furor additus, v. 355.
Adhuc *furiata mente fertur* Aeneas v. 588. et est
dignus vindice nodus,
pium heroa a defensione patriae retrahere. En! adest deus, mater, dextra prehendens, et orationem suam, animum pectusque filii mulcentem, ecstatica visione corroborans. v. 589-625.

* *

SECTIO XXII.

VITIA SVBLIMI OPPOSITA.

§. 310.

In cogitanda grandi materia cauendum est I. QVARTVM ΒΑΘΟΥΣ (manifesti) GENVS, in quo statim appareat magnitudine obiectorum comparatiua et generice maxima, §. 207. minores et inferiores esse mente forma-

formatas cogitationes, §. 217. In quo 4 denuo ſpecies facili negotio detegas: 1) ſi in maximis generice denuo excellentia cogitentur quidem maximis generatim ſatis apta dignaque ratione, ſed non adeo excellente, ac ipſa themata mereri videantur, 2) ſi ſiluae arbuſtis, 3) ſi ſiluae myricis exaequentur 4) ſi ſumma deprimantur omnino humum vsque et in meras nugas intra animum venuſte, ſi diis placet, cogitaturi redigantur. Vltima ſpecies tertiam claſſem nugatorum in re ſeria conſtituet, et eam quidem turpiſſimam, §. 245.

§. 311.

Ad primam βαϑȣς huc pertinentis ſpeciem referamus cogitandi rationem, quam in Homero iam reprehendit Longinus, S. VIIII. qua ille *ex hominibus*, qui *rebus Iliacis* interfuerunt, *quantum poteſt*, *deos* dum *facit*, *ex diis* facit *homines*, *quorum vulnera*, *diſſidia*, *vltiones*, *lacrumas*, *vincula*, *et infelicem immortalitatem* canat. Contra hoc vitium dirigi videtur Horatii praeceptum:

Intererit multum Diuusne loquatur, an heros.
A. P. 114.

Ex hoc enim verſu cum Bentleio *Dauum* exſulare iubeo. Ad eandem ſpeciem deprimentis ſe nonnihil infra ſuam maieſtatem ſublimis, §. 310. pertinet Homeri ab eodem Longino S. VIIII. obſeruata *declinatio ab Iliade in Odyſ-* *ſeae*

feae amorem fabularum. Ob quem Homerum in odyſſea comparat *occidenti ſoli, cuius ſine in tenſione* caloris et virium *maneat* §. 298 --- 309. *magnitudo.* Non eſſe, ait, ισον τονον Homeri in odyſſea, ac in Iliade, ουδ' εξωμαλισμενα τα υψη και ιζηματα μηδαμου λαμβανοντα, breuiter, *ſenectutem, ſed ſenectutem Homeri.*

§. 312.

Secundae ſpeciei §. 310. exemplum ſit Timaeus apud Longinum S. IIII. qui *Alexandrum magnum* ait *intra pauciores annos totam Aſiam ſubegiſſe, quam* intra quos *panegyricam orationem de bello contra perſas Iſocrates conſcripſerit. Egregia ſcilicet Macedonis illius cum Sophiſta comparatio. Vincit ſtrenuitate Lacedomios Iſocrates. Illi triginta annos in expugnanda Meſſene terunt, hic in conſcribenda oratione panegyrica tantum decem.* Huc et, praeter comparationes, traherem ſublimium, niſi tenues, medias certe partes et varia, circumſtantias dicunt, externa, praeſertim ſi minus neceſſaria earundem commemoratio, nec breuiſſima videatur. An magnus interdum et Maro dormitat? e. g. Aen. l. 177.

Ac primum ſilicis ſcintillam excudit Achates,
Suſcepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.

§. 313.

§. 313.

Ad tertiam iusto submissioris de sublimibus cogitandi generis speciem §. 310. nondum audeo referre omnes heroum cum bestiis, animantibusque comparationes. Interim tamen nostro, quod viuimus, saeculo solos reor leones et aquilas adhuc in maiori theatro suum locum tueri, praesertim auxilia ferente arte, quam heraldicam blasonicamque dicunt. Reliqua tantum non omnia loco graduque mota disparuerunt in heroicis, quando laus intenditur, animantia, dum philosophi, sintne machinae, sintne spiritus, euidentius inter se constituerint. Homeri adhuc heroes, vt canes, nisi latrant, tamen pugnant. Virgilii heroes, Aen. II. 355.

lupi ceu
Raptores, atra in nebula, quos improba ventris
Exegit caecos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis: per tela, per hostes
Vadunt.

Agnoscas inter arma virosque Tityrum, expertum quam sit

Triste lupus stabulis.

§. 314.

Horatii iam Drusus, IV. od. 4. comparatur lautius 1) aquilae, quam non *improba ventris rabies*, §. 313. sed

Olim

Olim iuuentus et patrius vigor,
Nido laborum propulit inscium.

Sed an satis dignum est, illi
Quod *rex deorum regnum in aues vagas,*
Permisit, expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flauo?

2) Leoni. Transeat. Sed an sunt etiam *Rhaetis sub Alpibus Vindelicorum obarmatae Amazoniis securibus dextrae,*

diuque
Lateque victrices cateruae
laetis caprea pascuis
Intenta?

Si sunt, an eorum *in poena nomen* est Drusi *memorabile?*

habet victoria laudem?

§. 315.

Ohe! iam satis est, ohe! poeta!
Tu procedis adhuc, et ire quaeris.
Maiores aquilis leonibusque
Nosti, maxime, comparationes?

Comparat principes iuuentutis romanae, quos Augustus, filiorum instar, habuit,

3) iuuencis:
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus.

Hoc

Hoc et in ſe deprehendetur exemplum et ſimile,

Magna modis tenuare paruis,

et, quanquam non ignoro boues olim maiori in reuerentia habitos, ac nunc, tamen, non Horatii carpendi gratia, ſed amore veri, *βαϑος* iudico, in quod ſi quis nunc ſimili in occaſione prolabetur, niſi *Romani*, §. 212. certe

Germani *tollent equites peditesque cachinnum*,

et *patres*, quos Bentleius *peditibus* ſubſtituit.

§. 316.

Quartam ſpeciem §. 310. memorati vitii ornet vetus illud:

Iuppiter interea cana niue conſpuit Alpes.

et recentius: *emunctioris naris mortales*, quando placet facetos et elegantes

Grandiſonis pompare modis, tragicoque boatu.

Transmittatur enim *emunctae naris homo* Horatii,

madidique infantia naſi

apud Iuuenalem, cum *ructantibus* eorundem perſonis, quoniam tunc ſublimia ſcribere non cogitarunt. §. 310. Huc potius Heſiodi, vel quisquis poematis *ſcutum* dicti ſit auctor, quam Longinus S. VIIII. reprehendit, *Triſtitia, cuius ex naribus humores fluebant.*

Tu grauis es nobis, et ſaepe emungeris, exi
Ocius et propera. Sicco venit altera naſo.
Iuu.

Longi-

Longinus eiusdem vitii accusat *Platonem* & *Xenephontem nonnunquam* δια τα ϰτως μικροχαρη *sui metipsorum obliuiscentes*, *quanquam ex Socratica sint palaestra*, e. g. tunc, vbi *Xenophon de republ. Laced. scribens pupillas*, *quae sunt in oculis*, *verecundas virgines dicat*.

§. 317.

Omnium harum depressius iusto de grandibus cogitandi rationum gradus semper turpiores sunt, in quibus non magnitudo solum forte naturalis, sed etiam simul dignitas et in magnis necessarius rigidae honestatis et seuerioris virtutis amor laeditur per VILE DE SVBLIMIBVS COGITANDI GENVS e.g. Ioui adscriptum praemium nefandi lenocinii, §. 314. et magna pars metamorphoseon Ouidii, eo procedens aliquando dedecorum, vt ipse sane non castus poëta putarit consultum, praefari, X, 300.

Dira canam. Procul hinc, natae, procul este, parentes.

Aut mea si vestras mulcebunt pectora mentes,
Desit in hac mihi parte fides, nec credite factum,
Vel, si credetis, facti quoque credite poenam.

Rectissime grauissimeque cauet Horatius, A. P. 227.

Ne, quicunque deus, quicunque adhibebitur heros

N Re-

Régali conspectus in auro nuper & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas.

Huc heroum mutua conuicia, quorum exempla non opus est in Homero quaerere, quum ante pauca saecula publicis adhuc in scriptis illustrium principum vel ipsos iam titulos macularent.

§. 318.

Pergens l. c. Horatius;

Ne, dum vitat humum, nubes et inania captet,

hos deducit ad vitium maiora cogitaturis fugiendum II. QVARTVM TVMORIS GENVS, res excellenter magnas inani sublimitatis in cogitando specie nequicquam inuoluens. Cuius meteoris quoniam vere materia et obiectum illustre non exaequetur, omnis tumor huius generis erit *βαθος κρυπτικον*, §. 217, 310. Potiores eius species, velut in ipso suo fonte videbimus, si praecipuarum de sublimi veritatum memores falsam earum conuersionem, hinc detorsionem, hinc laruam et vmbram sublimitatis attendemus in amplectentibus tumidam et sufflatam nubem pro Iunone.

§. 319.

I. Sublime cogitandi genus est admodum pulcrum. Hoc verissimum, §. 210. Hinc infe-

inferuntur male conversae: 1) Quicquid pulcrius reddendum, illud sublimandum est. Vnde tumorum genera, huc usque considerata, 2) pulcella et comtula ac venustula erunt sublimia. Hic primus fons, primam tumoris nunc considerandi speciem dabit, §. 318, si affectato pulcritudinis studio, fucos omnes et flosculos, et quicquid est vbique pigmentorum ac ornatus, periodos quouis globo rotundiores, argutas antitheses, et ipsas dictionis figuras ad nauseam vsque congerentes, sublimiter se scripsisse somniant, §. 165 - 307.

§. 320.

II. Sublimia nonnunquam admodum breuia, nonnunquam excellenter copiosa sunt et affluentia, §. 298. Hinc conuertendo pessime torquentur; 1) quo breuior, 2) quo diffusior eris, hoc eris sublimior. Vnde duplex tumoris species, 2) qua admodum sibi sublimis videtur, cuius

Sortilegis non discrepuit sententia Delphis,

modo breuis sit, etiamsi in longissimam quasi breuitatem incidat. §. 171. Huc Trimalcionis sublimis *vrbanitas*, vbi *lentissima voce Carpe* saepius *ingerens*, *Carpum*, *qui obsonium carpebat*, *eodem verbo vocabat*, *et imperabat*. Petr. Huc autem propius pertinet, si quis e. g. de eo vere grandi, de quo praesertim exponenda mens esset, si quid sublimis co-

cogitare vellet, adhibet tritum illud: *De hoc praestat nihil, quam pauca dicere*, adeoque nec nihil, nec pauca, nec multa, nec magna. Interim sibi plaudit, ac si maxima. Quid enim? Nonne breuissime peracta sunt omnia?

§. 321.

3) Qua alius tunc sibi sublimis videtur, quando omnia ita circumscribit, vt nec gallum quidem gallinaceum, satis longam vocem putet, sed praeferat illud Iuuenalis:

Quo mordetur gallina marito

Huc magis pertinet exemplum frigoris a Vossio allatum, Sex. Rufus habet: *per D. Brutum Hispanias obtinuimus, et vsque ad Gades et Oceanum peruenimus.* Idem ita tumens Florus narrat: *D. Brutus aliquanto latius Gallaecos, atque omnes Gallaeciae populos, formidatumque militibus flumen obliuionis, peragratoque victor Oceani littore, non prius signa conuertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu et horrore deprehendit.*

§. 322.

III. Sublime cogitandi genus ita maxima (generice,) cogitat, vt ad minuta, (omni magnitudine aesthetica destituta,) nunquam delabatur, §. 299. Hinc conuertitur principium; Qui ergo de re quapiam, tanquam de

optima

optima maxima, quae vnquam eſt, fuit, erit, ita cogitat, vt et omnia eam ambientia, circumſtantia, et vlla ratione concernentia, eo vsque eleuet, vnde non datur vel imaginationi plus vltra, ſublimiter ille, profecto, cogitabit. Habes quartam tumoris huc pertinentis, §. 318, ſpeciem. Hic eſt ille *tumor*, qui ſecundum Longinum. S. III. *altius inſurgere vult, quam ſublimia, puerilis autem omnino ſublimibus opponitur*, §. 318. Exemplum dabit tempeſtatis deſcriptio in Aen. l. I. comparata ea, quam Lucanus fluctibus ſuis aeque tumentem habet, l. V. in qua

(Neptuni) *regno aeceſſit terra ſecundo,*
Quum mare conuoluit gentes, quum littora Tethys
Noluit vlla pati, caelo contenta teneri.
Tunc quoque tanta maris moles creuiſſit in aſtra,
Ni ſuperum rector preſſiſſet nubibus vndas.
fluctus in nubibus accipit imbrem. e. c.

§. 323.

IV. Sublimia quorundam fidem ſuperant, §. 301, 286. Hinc, qua conſequentia? tamen infertur: Omnem fidem ſuperantia quo largius congeres, hoc ſublimius cogitabis. Haec quinta tumoris, de quo nunc, §. 318. ſpecies in incredibilitate qualicunque ſublimitatem quaerentium. His ſemetipſum

transcendere videbitur Ouidius, quando ait Met. VII. 104:

Ecce! adamanteis Vulcanum naribus efflant
Aeripedes tauri: tactaeque vaporibus herbae
Ardent, vtque solent pleni resonare camini,
Pectora sic intus clausas voluentia flammas,
Gutturaque vsta sonant.

Hos sublimes Petronius ridet, *qui nihil ex iis, quae in vsu habemus audiunt, et vident, sed tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis, vt patrum suorum capita praecidant*, e. c.

§. 324.

V. Sublimia non omnibus omnia lucent, §. 303. Hinc inepte concluditur: Quo obscurius? hoc sublimius. Habes sextam tumoris et ineptae sublimitatis, §. 318, speciem. Huius amicis Tacitus Liuio, Lucanus et Statius Virgilio praestant, qua sublimitatem, quoniam intellectu saepe difficiliores sunt. Videamus exemplum. Virgilius Augusto:

Iam pridem nobis caeli te regia, Caesar,
Inuidet, atque hominum queritur curare triumphos, Georg. I. 503.

Statius, inuentionis gloriam habere quia non potest, ob obscuritatem tamen fautoribus huius palmam sublimitatis eripuisse videbitur Virgilio, sic Titum alloquens:

O!

O! Latiae decus addite famae!
Quem noua maturi subeuntem exorsa parentis
Aeternum sibi Roma cupit: licet arctior omnes
Limes agat stellas, et te plaga lucida caeli
Pleiadum, Boreaeque et hiulci fulminis expers
Sollicitet: licet ignipedum fraenator equorum
Ipse tuis alte radiantem crinibus arcum
Imprimat, aut magni cedat tibi Iuppiter aequa
Parte poli, maneas hominum contentus habenis
Vndarum terraeque potens, et sidera dones.

§. 325.

Haec Statiana Virgilii periphrasis in hac tumoris specie nouam mihi modificationem reuocat in mentem, quando tumidum cogitandi genus quasi obscurum, §. 303. explicat per vere obscurum et simul asiatico, nescio quo, apparatu omnem sublimitatem opprimit. Si nauta, cui timenti procellam Caesar: *Bono*, ait, *animo esto. Caesarem vehis*, non intellexit Caesarem, de quo non pugnabo, quaeritur, an Lucani Caesarem intellexisse credibile sit, quando ille sane verbosus ad rectorem nauis: l. V.

Sperne minas, inquit, *pelagi*, *ventoque furenti*

Trade ſinum. Italiam ſi caelo auctore recuſas,
Me pete. Sola tibi cauſſa haec eſt iuſta timoris
Vectorem non noſſe tuum, quem numina nunquam
Deſtituunt, de quo male tunc fortuna meretur,
Quum poſt vota venit.

Ita Lucani Caeſar verum in Caeſarem adhuc per decem verſus ſubobſcure commentatur, et tamen ſuccenſet ſuo paene Caeſari poeta *non plura loquuto:*

§. 326.

VI. Sublimia adeo perſuadent, §. 308. vt potius *extra ſe rapere*, et *vim ac impetum inexpugnabilem afferentia ſe ſupra omnem auditorem erigere*, quam perſuadere dicantur Longino, S. I. Hinc praeiudicium: Magna de magnis ſi tollam argumenta, magnis de magnis erunt maxime perſuaſibilia. Ex quo denuo ſeptima tumoris, de quo §. 318. ſpecies, ſe exſerens nunc vaſta perſuaſoriorum copia, quando paene nullis opus fuiſſet, nunc altiſſime petitorum enthymematum ſyrmate, nunc praeſertim inani magnitudinis vmbra in ipſis argumentis re ipſa tritiſſimis. Huc certitudinis omnino nihil habentia ſimilia, modo a Phoebo, iride, grandine, et quic-

quicquid eſt vbique meteororum, deſumta ſint. Huc exempla, licet vere nihil probantia, ſaltim Cambyſen et Epaminondam, Alexandrum Magnum, *Xerxen*, *Perſarum Iouem*, atque Scipiones crepent. Huc teſtimonia Stagyritae, renati Euphorbi, luſciniae Atticae, Venuſini oloris, Bilbilitani vatis, cygni Mantuani, philoſophi κατ' ἐξοχην, aut Chriſtinae, virginis ſolium contemnere doctae e. c. quando defenſoribus illis tempus non eget.

§. 327.

VII. Quaedam ſublimia mouent vehementiſſime, §. 308. Hinc peſſima conuerſio: Quo feruentius bacchaberis, hoc ſublimius cogitabis. Vnde octaua tumoris, de quo §. 318. ſpecies, qua ſublimia cogitaturus repente in parenthyrſum incidas, qui, quando in ſublimibus aliquem, veluti vertigo Phaëtontem, abripit, a Longino S. II. poſt Theodorum, deſcribitur *affectus intempeſtiuus*, *et inanis*, *vbi affectu non opus eſt*, *aut immodicus*, *vbi mediocri opus eſt. Saepe enim, velut ebrietatis vi*, *quidam ad affectus, qui non in re poſiti ſunt*, *ſibi proprios et ſcholaſticos abripiuntur. Deinde merito ignominiae notam ſubeunt, coram auditoribus nihil omnino commotis. Dum ſunt in ecſtaſi coram nihil ſimile paſſis.*

§. 328.

Augetur huius tumoris turpitudo, si nec intempestiuus quidem et nimius affectus, qua decet ratione, concipitur, ita vt *fleas sententiolis, periodis postules*, et in summo horrore pueriliter arguteris. Quo tumidae elaborationes thematum a Petronio commemoratorum: *piratae cum catenis in littore stantes, et responsa in pestilentia data, vt virgines tres aut plures immolentur.* Jam finge tibi iuuenem inflatis declamationibus eiusmodi contritum, et omnes has tumoris species in vnum thema, veluti iura coqui, confundere institutum, et deprehendes lepidum Petronii dictum: *Qui inter haec nutriuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant.*



SECTIO

SECTIO XXIII.
ARGVMENTA AVGENTIA.

§. 329.

ARGVMENTA AVGENTIA dicamus, quorum vel vnica, vel potior, vel nunc maxime a tendenda vis est, §. 143. vt congruentem cum cogitandis magnitudinem cogitationibus nostris concilient, M. §. 162. Liceat enim hic augmenta tantum vere talia, vere pulcra, nomine augentium insignire, quum argumenta tumoris iam METEORORVM nomen nacta sint, et ARGVMENTA βαθους DEPRIMENTIA dici possint, a quibus EXTENVANTIA distinguo, inuitantia ad minorem cogitandorum magnitudinem mente formandam, ac primo visa est, haec enim, verisimilia et caeteroquin pulcra, dico augentia, sane non thema, sed magnitudinem et dignitatem cogitationum, cuius vtique interest, vt iusto metiri singula pede meditatus videatur.

§. 330.

In figuris augentibus §. 329, 26. est etiam αυξησις, augmentum vel incrementum, cuius tamen vagus est significatus. Longinus eam primo S. XI. ita describit, vt cum figura, quam nunc climacem quidam, alii gradationem

nem vocant, figura ſane augente, §. 329. coincidat, dein autem reiicit definitionem αυξησεως, quam concedit eſſe ſcriptorum artis, ex qua ſit λογος περιτιθεις μεγεθος τοις υποκειμενοις, ſecundum quam omne argumentum augens pulcrius ex ſignificatu, §. 329. dicerem auxeſin, ſ. augmentum. §. 26. Tandem αυξησιν ipſe definit, vt, quantum ex loco per lacunam corrupto colligi poteſt, eadem videatur complecti velle, quicquid eſt ισχυροποιυν τη επιμονη, quicquid diutius inhaerendo certae materiae vim eius et cogitationum de eadem intendit, ſiue veriſimilitudinem, ſiue lucem, ſiue perſuaſionem, ſiue vitam, ſiue tandem ſtrictius maiorem dignioremque tantum cogitandi de data materia rationem promoueat. §. 172. Facile apparet vltimum ſignificatnm eſſe latiſſimum, et paene coincidere, cum notione argumenti longioris generatim, medium latiorem, primum ſtrictiorem. Si vocabulo opus haberem, eligerem figendum ſignificatum medium cum τεχνογραφοις.

§. 331.

Quemadmodum Longinus artem ſublimis βαθυς τεχνην S. II. adhuc vocat, qua ratione caelum profundum dicitur: ita idem adhuc conſulit φοιβαζειν τυς λογυς in ſublimibus S. VIII. et in primam ſublimium ingeniorum claſſem refert φοιβαςικυς S. XIII.

Ex

Ex eo autem βαθος oppositum sublimi vel maxime vitium, §. 217. significat ex vsu loquendi frequentissimo, et Antilongini recentioris *ars rependi* ironica hunc satis fixit. Pari ratione quanquam de Phoebo et meteoris naturae loqui non turpiter in vere etiam sublimibus aliquando licet, §. 126. tamen tumide frigideque meteora vbique, quasi deum ex machina, vocantes in subsidium, si quando tollere humo se plumbei audebant, eo rem deduxerunt, vt iam Longinus S. III. ex vsu loquendi, quo tales meteororum praecones, qualem §. 202. vidimus, μετεωρολογοι, immo μετεωρολεσχαι, dicebantur, sublimia meteoris opponat, et nunc Phoebus et Φοιβολογειν in eundem vitiosum significatum venerit.

§. 332.

In figuris et argumentis augentibus momentum, quod habent ad magnitudinem absolutam, indagemus solum generatim. Vnde per se patebit, quomodo se relatiuam etiam ad magnitudinem, et tenuitatem, mediocritatem, et sublimitatem habeant. Ad hanc facere dicit Longinus S. XV. imaginem, quam hypotyposin dicimus, quae tamen est potius lucis sublimitatem potissimum ambientis, §. 303. argumentum et figura, quam vt immediate, vel potissimum magnitudinem cogitationum de re quapiam augeat, §. 329. 172.

172. cf. Longini S. XVII. Pari ratione putarem interrogationem, de qua Longinus S. XVIII. potius ad persuasionem facere, tantam etiam, quantam sublimis meditatio postulat, §. 305. quam ad ipsam immediate magnitudinem augendam. Nec asyndeton, de quo Longinus S. XIX. negauerim ad vbertatem et synathroismum quendam magis spectare sublimia decentem cum decora breuitate, §. 295, 148. quam ad intendendam propius et immediate magnitudinem. §. 329.

§. 333.

Repetitionem autem, de qua Longinus S. XXI. huc vtique suo iure voco, quoties figura est, §. 26. quanquam enim et ad persuadendum et ad incitandum aliquando suam etiam eximiam exserere possit efficaciam, primo tamen id semper efficit, quod nunc in primis attendimus, vt maius illud aliquid, et dignius animaduersione nostra, multumque ponderis in se habens censeatur, quod dignum visum est iterum iterumque reuocari in animum sistique velut ob oculos plus vice simplici. Exemplum videbis in Longino. Sed nolo tantum argumenta sublimium, §. 332. Huc in tenuibus repetitum illud:

Fortunate senex. Virg. ecl. 1.

ad

ab eo, qui dixerat:

Non equidem inuideo, miror magis.

Item illud ecl. 4. venientis iterum ad se ipsum ex turpi satis ecstasi

Ah! Corydon, Corydon! quae te dementia cepit!

Daphninque tuum tollemus ad astra,

Daphnin ad astra feremus, amauit nos quoque Daphnis, ecl. V. e. c.

§. 334.

Hyperbaton, de quo Longinus S. XXII. potius ad vitam et pathetica, praesertim quanta sublimibus conueniunt, §. 308. quam immediate et propius ad magnitudinem, §. 329. Ex iis, quarum Longinus S. XXIII. mentionem iniicit, figuris huc praesertim climax et gradatio, de qua iam §. 330. quando scilicet, vel mirabilius magnificentiusque, vel saltim aliquo modo augendi aliquid ornandique gratia cum eleuatione nonnulla, id primum cogitatur, quod datae materiei conueniat, veluti in gradu positiuo consideratae, illudque tanquam vnum et mensura si acceptum est, statim additur maius, hinc denuo maius, et sic porro, donec tandem maximum ipsis his praemissis, debilioribus vti tot luminibus, illustratum in omni sua amplitudine percipiatur. Vnum exemplum, etiam

ab

ob alia, adſcribam: *O! tempora! o! mores! Senatus haec intelligit, conſul videt. Hic tamen viuit: Viuit?* §. 333. *immo vero etiam in ſenatum venit, fit publici conſilii particeps, notat et deſignat oculis ad caedem vnumquemque noſtrum.* Cic. in Cat. I.

§. 335.

Huic oppoſitum vitium, magnum βαθȣς incrementum, quod *ars rependi* vocat *anticlimacem*, vehementer cauendum eſt, quo ſuccederent in pulcre cogitandis poſt maiora, digniora ac grauiora, repente, tanquam in primariis notis aequipollentia, in ſecundariis autem, minus aliquid, leuius aut indignius iis, quae anteceſſerunt, inuoluentia. Longinus S. XLIII. huius vitii ſatis lepidum exemplum ex Theopompo, §. 174. commemorans eum inter alia reprehendit, qui ex ſublimioribus in humiliora decurrat, quum e contrario debuiſſet αυξησιν facere. Hic denuo Longinus, non ex ſua ipſius notione, nec ex definitione ſcriptorum artis, ſed ſtrictius vocem αυξησεως adhibet. §. 330.

§. 336.

Argumenta, quae Longinus S. XXIIII.-XXVIIII. percurrit, omnia mediate potius augent, per vnam reliquarum cardinalium meditationis elegantiarum, §. 22. quam vt immediate propius pondus ac magnitudinem conci-

concilient. Metaphorae autem, de quibus Longinus S. XXXII. ſimilia et comparationes, dequibus idem, S. XXXVII. quamquam bellae plerumque ſimul aliam vim et efficaciam habent, §. 142. tamen et huc trahendae ſunt, quatenus apud catos auctores virgularum menſoriarum ſimul vices ſubeunt, quas ideo ſubminiſtrant, vt ex earum nota magnitudine ac data, ſignificatus improprii comparatique thematis magnitudinem dignitatem ac pondus, forſan adhuc minus tibi cognita, tacitus tecum metiaris. §. 329. Dic aliquem malum ciuem! quantitas adhuc indeterminata eſt. Dic eundem peſtem reipublicae. Nonne gradus calamitatis publicae, quem eſſe in peſtilentia notum eſt, auget ſimul prauitatem et detrimentum in ſignificatu improprio publicum, antea minus cognitum?

§. 337.

Virgilius ſpecies arborum enumerare difficile cogitans, gradum difficultatis, quam aeſtheticus pro impoſſibilitate habet phyſica, quantus ſit, comparando pingit Georg. II. 105. *numerum*, inquiens, *et nomina* ſpecierum

Si quis ſcire velit, Lybici velit aequoris idem
Diſcere quam multae Zephyro turbentur arenae,
Aut, vbi nauigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe, quot Jonii veniant ad littora fluctus.

§. 338.

Eadem autem haec argumenta augentia 336. hoc cautius adhibenda ſunt, quo certius mathematica cognitio rationis analogo

Periculoſae plenum opus aleae eſt,

ne, vel φαινομενως etiam, §. 16. erres in calculo, quo facto ex iisdem fontibus et larga ſeges argumentorum deprimentium, §. 313-315. et meteororum. §. 329. Quorum neſcio, an non Plato quaedam exempla dederit in metaphorica deſcriptione corporis humani, quam ex dialogo, qui Timaeus dicitur, partim Longinus ſuis inſerit, et in qua iam circulationem ſanguinis Plato docuiſſe perhibetur, cor dicens fontem τȣ περιφερομενȣ σφοδρως αιματος κατα παντα τα μελη. An ſine tumore collum dicitur *Iſthmus inter arcem capitis et pectus?* An errant, qui in comparatione *reipublicae* cum *poculo*, in quo *deus furens per deum ſobrium* (aquam) *caſtigatur*, βαθος, et manifeſtum, et crypticum, tumorem, deprehendere ſibi videntur? §. 310.

§. 339.

Argumentum augens, et huc primario pertinens, eſt in Longino S. XXXVIII. hyperbole tam in cogitando quopiam, vt magno, quam in cogitando alio, ut paruo, limites ordinarios transgreſſa, ſi vere ſit figura §. 26. Poſterior, diaſyrmus, eſt argumentum extenuans, §. 329, non ſatis aliquibus

apte

apte Tapinosis dicta, quae potius pro graeca denominatione omnis argumenti deprimentis, saltim in vitiis, habenda est. Huc vocaui hyperbolen, quae figura sit. Jam saepius enim prae me tuli phaenomena illa, in pulcre cogitatis dictisue obseruata et graecis plerumque denominationibus ornata, quae pueri discimus, vt figuras, tunc demum hoc titulo digna me iudicare, si cum ratione sufficiente locata deprehenduntur, et insigne quid in focum pulcritudinis sua etiam ex parte conferant. Hinc Longino hyperbolae crypticae maxime placent, ita limites altitudinis profunditatisque transgressae, vt tamen ne illud quidem factum videatur. Exemplum in communi germanorum phrasi deprehendo; quando vehementer ex vulnere suo cruentatum in suo natare sanguine dicunt.

§. 340.

Nec ego, secundum aestheticorum virgulam mensoriam reiicerem hyperbolen Herodoti, qua dicit in Thermopilis pugnantes graecos *barbarorum iaculis sepultos*, nec comicum illud: *agrum habet, cuius terra minor est epistola Laconica.* Multo iam sequior est diasyrmus, ταπεινοτητος αυξησις, quem Ciceroni Quintilianus adscribit, VIII. 6:

Fundum Varro vocat, quem possum mittere funda,
Ni tamen exciderit, qua caua funda patet.

 O! me-

O! mediocrem poetam Tullium! Eſſet formaliter venuſtior diaſyrmus Catulli in Furii paupertatem c. 23. al. 20. ſi vel ſimpliciter honeſtorum morum rationem per omnia maiorem habuiſſet auctor:

Furi, cui neque ſeruus eſt, nec arca,
Nec cimex, nec araneus, nec ignis.

-- -- --

Dentes vel ſilicem comeſſe poſſunt.

-- -- --

Atqui corpora ſicciora cornu,
Aut ſi quid magis, aridum eſt, habetis
Sole et frigore et eſuritione. e. c.

§. 341.

Nec excuſare audeo hyperbolen Iſocratis excedentem, qua 1) ſtatim in exordio 2) orationis, non poëmatis, 3) in qua veram Athenarum prae Spartis eminentiam in beneficiis Graeciae collatis promittebat oſtendere, ſuo ſe gladio petens, et admonens auditorem contra ſe ipſe, *verbis tantam vim tribuit, vt poſſis* iisdem *et res magnas humiles efficere, et paruas magnitudine veſtire,* e. c. Quid enim, Sophiſta, proficies tale quid auſus verbis vnice, niſi vt vel repas, vel tumeas? Praeferamus hyperbolen Iuuenalis, cui quaedam, Sat. VI.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Aedificat caput. Andromachen a fronte videbis,

Poſt

Post minor est. Credas aliam,
breuiorque videtur
Virgine Pygmaea nullis adiuta cothurnis.

§. 342.

Quam in argumentis augentibus paene primam legimus, venusta repetitio, §. 333. multas sub se comprehendit figurarum species, quae in figuris dictionis habentur ordinario, et tunc quando vere supra memoratam repetitionis vim habent, fiunt simul figurae sententiae, §. 26. Repetitio est vel totalis, vel partialis, e. g. mutatis saltim relationibus respectibusque, quos casus significare solent, vnde polyptoton, cuius et Longinus S. XXIII. mentionem iniicit, et ad quam figuram audaci, sed vera, philosophia Vossius et repetitionem variatis numeris, gradibus, generibus, modis, temporibus et personis retulit. Huc illud Calui: *Factum esse ambitum omnes scitis, et vos hoc scire omnes sciunt.* Alia ratione repetitio diuiditur in immediatam et coniunctam, ac in mediatam et disiunctam.

§. 343.

Repetitio disiuncta totalis est anaphora, §. 342. figura, si ponderosior res ipsa signi repetitione primum in locum collocati iterum iterumque infigitur alta mente reponenda, vnde αναθεωρησις vere sperari possit.

 Talis

Talis est figura, sane non dictionis tantum, in anathemate Mosis et μακαρισμῷ Christi. Repetamus exemplum ex Lucilio post Lactantium:

Virtus, Albine, est pretium persoluere verum,
Queis in versamur, queis viuimu', rebu' potesse.
Virtus est homini, scire id, quod quaeque habeat res.
Virtus scire homini rectum, vtile, quid sit honestum,
Quae bona, quae mala item, quid inutile, turpe, inhonestum,
Virtus, quaerendae rei finem scire modumque. e. c.

§. 344.

Eandem, nisi maiorem, vim habet in fine repetens, quae commendare vult altiori perpensioni, epistrophe, vel epiphora, si vere sit figura, §. 342. Qualis Plauti:

Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt,
Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt,
Idque, quod in aurem rex reginae dixerit,
Sciunt, quod Iuno fabulata est cum Ioue,
Quae neque futura, neque facta sunt, tamen ii sciunt.

Iam

Iam maior est apud Ciceronem, II. philipp. *Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos ciues? Eos quoque eripuit vobis Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta est? afflixit Antonius.* Pessimi fuit ominis in Maximinum epiphora, quae inerat versibus graecis, quos in eum dictos narrat Iulius Capitolinus in hanc sententiam: *Qui ab vno non potest, a multis occiditur. Elephas grandis est, et occiditur. Leo fortis est, et occiditur. Tygris fortis est, et occiditur. Caue multos, si singulos non times.*

§. 345.

Symploce, epanalepsis, anadiplosis, ploce, epizeuxis, repetitorum positu differentes, quem ego parum curauerim in rebus, in hoc conueniunt figurae, vt venuste repetant, penitius consideranda, §. 333. Est eiusmodi elegantia in Ou. Fast. II.

Vna dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos perdidit vna dies

In tenui praesertim genere cogitandi, si qua tamen comparatiue prae reliquis esse aliquid iudicandum est, adhiberi solent cum imitatione suaui morum per simplex viuendi cogitandique genus vsitatorum, quoniam eiusmodi homines, raro cogitant, quae non sibimet ipsi saltim dicant, adeoque grauius sibi visum iterum iterumque cogitantes iterum

etiam iterumque ſignificant. Hinc hae figurae tam crebrae in bucolicis, Catulli hendecaſyllabis, anacreonticis e. c.

Surgamus. Solet eſſe grauis cantantibus vmbra.
Iuniperi grauis vmbra, nocent et frugibus vmbrae.

§. 346.

Quam gradationem, quod incrementum climacis ſub nomine iam numerauimus cum Longino in argumentis ac figuris augentibus, §. 334. eius aliquam ſpeciem aliqui climacis nomine donantes in figuris etiam dictionis habent, incremento recte ad figuras ſententiae relato. Tunc Climax ſtrictius dicitur, quando minus illud, dum ab eodem ad maiora ſcandimus, ſimul repetitur, §. 333. Videamus exemplum ex Epicharmo apud Athenaeum ex verſione Voſſii, quia ſimul, vti legitur, in vltimis anticlimacis reliqua deturpantis §. 335. exemplum exhibet: *Ex ſacrificio epulum, ex epulo compotatio, quod feſtiuum mihi quidem viſum, ex compotatione petulans comeſſatio, ex comeſſatione furor, ex furore lis apud iudicem, ex lite ac iudicio condemnatio, ex condemnatione compedes, gangraena, vel ſideratio, et mulcta.*

§. 347.

§. 347.

Quanquam figuras omnes sententiae Vossius dicit in rebus ipsis quandam habere dignitatem: non tamen omnes huc traho, nec plurimas, sed eas potissimum, quas ex medio significatu vocis, §. 330. αυξησεις dicas, §. 329. Nec enim opus est incrementum, nec minorem, satis adhuc verisimilem, hyperbolen synecdochice tantum auxesin dicere, nec superlationem μειωτικην catachrestice tapinosin. §. 339. Interim incrementi, §. 334. quod climax stricte non sit, §. 346. breue adhuc videamus exemplum ex Seneca, qui *turpissimam ex negligentia iacturam* eorum dolet, quorum, *si volueris attendere, magna vitae pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.*

§. 348.

Synathroismum, quem aliqui congeriem dicunt, iam in argumentis locupletantibus vidimus, §. 148. et in augentibus ad sublimitatem vsque, §. 298. Valet enim et in tenui, et in medio cogitandi genere complexus eiusmodi, quo congestorum veluti totum animis offertur, magnam absolute, quantaque relatiua quaeritur, excitare perceptionem. Ita Cicero pro lege Manilia: *Quod denique belli genus esse potest, in quo eum* (Pompeium) *non exercuerit fortuna reipublicae? Ciuile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mi-*

tum ex ciuitatibus atque ex bellicosissimis nationibus, seruile, nauale bellum, varia et diuersa genera bellorum et hostium, non solum gesta ab hoc vno, sed etiam confecta. Congeries maior, hinc et celerior, huc etiam pertinet epitrochasmus, Virg. Aen. IV.

faces in castra tulissem,
Implessemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem.

§. 349.

In augentibus sine dubio habeamus Parrhesian, implicite vel explicite ostendentem, vt certa meditatio meditationisue significatio decerneretur, opus nobis insigni fuisse libertatis nisu, non nisi post luctam aliquam vicisse tamen in animo meliorem caussam. Post eiusmodi enim prologum, vel tacitam insinuationem, sane non vulgaria solent exspectari ac trita. Hoc argumentum an figura dicatur semper, an nunquam rhetoribus, mihi perinde est. Vtitur eodem cum effectu Sinon apud Virgilium, quando inter praemissa iam huc pertinentia, Aen. II, 77:

Cuncta equidem tibi, rex, fuerint quaecumque, fatebor
Vera, inquit, neque me Argolica de gente negabo.

Hoc

Hoc primum. Nec, si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

§. 350.

Pergit fictus Sinon μετα πολλης παρρησιας, donec attentionem acuisse se satis putat. Tum vero luctam intra animum denuo simulat. 101.

Sed quid ego haec autem nequicquam ingrata reuoluo? e. c.

quo effectu?

Tum vero ardemus scitari et quaerere caussas,
Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae
Prosequitur pauitans.

Quum autem rem iam acu paene tangeret, cuius gratia omnis ludebatur fabula, non verbulum prius, quam

Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
Vos aeterni ignes, et non violabile vestrum
Testor numen, ait, vos arae, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittaeque deum, quas hostia gessi.
Fas mihi Graiorum sacrata resoluere iura.
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt. Teneor patriae nec legibus vllis.

Tu

Tu modo promissis maneas, seruataque serues,
Troia, fidem, si vera feram, si magna rependam.

Euentus docuit, quanti haec habita sit parrhesia, et narratio huic inuoluta.

§. 351.

Figurarum augentium agmen claudat exclamatio, non ea tantum, qua talia cogitantur, quae eloquenter legendo cum aliqua vocis intensione proferenda sunt, propter magnitudinem, sed et illa, quae cryptice designat, non sine admiratione talia menti nostrae obuersari, quae iam cogitamus. Quoniam enim parua ac proletaria non solent in admirationem sui rapere, denotatur eo ipso, quod pulcre cogitantem subit mirari, magnum aliquid esse, quod animo voluit. Quando legis apud Terentium:

D. Hei mihi! quid faciam? quid agam? quid clamem, aut querar?
O! caeli! O! terra! o! maria Neptuni! M. hem tibi! Ad. V, 3.

nonne comice saltim magna exspectas, quae resciuerit clamans? Eiusdem scriptoris in Andria Pamphilus ita quasi genesin paullo post futurae exclamationis describit:

Vix sum apud me. Ita animus commotus est metu,

Spe,

Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono, V. 4.

Jamque non parua laetari videbitur poſt pauca concludens:

O! fauſtum et felicem hunc diem!

****

SECTIO XXIIII.

GRAVITAS AESTHETICA ABSOLVTA.

§. 352.

Quanta quanta ſit in materiis aeſthetica magnitudo, neque tamen illam aſſequatur, niſi ſubiectiuae ſimul magnitudinis capax, quam magnanimitatem et grauitatem aeſtheticam diximus, §. 189. Haec erit abſoluta magnitudo ingenii et pectoris, §. 45, ſed non connata ſolum, verum etiam innutrita exercitiis, vſu, §. 51. ac diſciplina, §. 63. non ea mortua, ſed plenis appetitionibus eliciendis ſufficiens, quantam omnia magnitudinem, hinc et dignitatem; abſolutam aeſtheticam habitura pulcre cogitanda requirunt, §. 178.

§. 353.

Quando itaque nunc in omni pulcre cotaturo magnum animum poſcimus, non ſedet animo Ciceronis illa notio, quae forſan in ipſo

ipſo ſeuerioris horizonte rationis ac purioris exaggerata nimium ac iuſto auguſtior probari poſſet, vbi Quaeſt. Tusc. IV, 61: *Conſtantem*, ait, *volumus quendam, ſedatum, grauem, humana omnia prementem illum eſſe, quem magnanimum atque fortem virum dicimus. Talis autem nec moerens, nec timens, nec cupiens, nec geſtiens eſſe quisquam poteſt. Eorum enim haec ſunt, qui euentus humanos ſuperiores, quam ſuos animos eſſe ducunt.* Catone maioris comitatis et humanitatis erimus heic contenti, modo poſſit ac velit abſolute magna ſectari, abſtinere ab ineptiis, vilibus, ac humillimis, §. 191. 195.

§. 354.

Neque quaerimus in pulcre cogitaturo quouis virum probata ſic

pietate grauem ac meritis

venerabilem, vt vel ſolo nutu ſilentium tumultuantibus imponere valeat, multo minus hominem qui *fronte graui triſtique ſupercilio* ſuas opiniones aliis *contumaciter* obtrudat, minime omnium vnum ex iis, qui

ignaua nequeunt grauitate moueri.

Nobis ſufficit animus abſolute magnorum, adeoque dignorum etiam, et potens et conſtanter auidus, ſeduloque cauturus, quae iam reprehendit Lucilius,

Dum ridet verſus Enni grauitate minores.

§. 355.

§. 355.

Hanc ingenii pectorisque magnitudinem et potentialem optamus, partem characteris generalis in felici aesthetico, S. II-VI. et tunc, quando ad pulcre cogitandum accedit, actualem, qua non alio solum tempore forsan et aliis occasionibus, sed et nunc, et ea ratione, qua iam res eget, possit, non velit solum antecedenter incompletis ex solicitationibus, sed etiam efficienter decernat, magna absolute, hinc et digna, quibus nihil insit pusilli, nihil humilis et abiecti, mente, praecordiisque concipere. Regnet in eiusdem persona, quam Cicero describit de Inu. II, 166. *dignitas* (subiectiua), *honesta* nempe, *et cultu, et honore, et verecundia digna auctoritas.*

§. 356.

Si quibus pulcre cogitaturis actualis deest absoluta magnitudo animi, dignitasque personae, quam huc vsque vidimus, sunt illi PVLCELLI LEVICVLIQVE MICROLOGI. (leptologi.)

Animasque leues vt noscere possis,

magnum alias poetam Lucretium ibi lege, vbi L. III. rem vnam ex maximis et grauissimis hoc eleuat exordio:

Nunc age, natiuos animantibus et mortales
Esse animos, animasque leues, vt noscere possis:

Con-

Conquiſita diu, dulcique reperta labore,
Digna tua pergam diſponere carmina vita
e. c.

Huius vitii ſcopulus vix euitabitur, non ſolum infra horizontem aeſtheticum poſita ſibi themata legentibus, ſed etiam ſupra eundem conſtituta, quoties haec nihilominus cum feſtiua quadam vrbanitate non ſine ſalibus ac iocis exponere laborant. §. 120, 121.

§. 357.

Interim non niſi abſolutam leuitatem in omni pulcre cogitaturo culpari volo. §. 355, 356. Poteſt aliquando pectus ingeniumque ſane magnum, quantum Virgilii,

Incolumi grauitate iocum tentare,

poteſt idem ferri in comparatiue minus magna et digna, quae tamen abſolute ſint, §. 198, 201. hinc ab ipſo auctore dicantur leuia ſecundum §. 179. interpretando. Huc exordium mellificii, Georg. IV, 4.

Admiranda tibi leuium ſpectacula rerum,
Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis
Mores, et ſtudia, et populos, et praelia dicam.

§. 358.

In medio relinquamus, nunc aeſthetici, ſtatum animi in Demoſthene, quem damnat Cicero, in quaeſt. tusc. V, 103. iam non popu-
lari

lari quadam trutina, ſed aurificis ſtatera examinaturus, quae probet, §. 250. quando: *Leuiculus ſane noſter*, inquit, *Demoſthenes, qui illo ſuſurro delectori ſe dicebat, aquam ferentis mulierculae, vt mos in Graecia eſt, inſuſurrantisque alteri: Hic eſt ille Demoſthenes. Quid hoc leuius? At quantus orator. Sed apud alios loqui videlicet didicerat, non multum ipſe ſecum.*

§. 359.

Pulcelli habitualiter micrologi, leuiculique minutiarum ſectatores ſint illi PYGMAEI HELICONIS, Parnaſſique reptilia. Paruulas in his animulas natura tales, numarios poëtaſtros, et hoc genus omne, ridentes ſuo abundare ingenio iubeamus, hilaresque eo ablegemus ad ſuas imagines,

Vbi tota cohors pede non eſt altior vno.

Vni illi dolent, honeſtamque merentur miſericordiam, quos iniuriae temporum, barbariesque locorum, in quibus vixerunt, ſaporque deprauatus aequalium, vel honoratiſſimorum, eo compulit, vt animarum ſic ſatis magnarum friuole prodigi vel in nugis ac ineptiis, vel omnino humillimis turpitudinibus, otium tererent, aut conſpurcato pectore ſimul ingenium deturparent.

§. 360.

Abſolutam, quam huc vsque conſiderauimus, animi, ingenii pectorisque magnitu-

dinem, praesertim eam, quae nonnunquam etiam comparatiue maximis proportionate tamen pingendis, sine dedecore, pulcre sufficiat, probe contemplanti patebit moralis illa necessitas et pulcrae eruditionis, et morum laudabilium in felici aesthetico, quae nonnunquam doctores artis insigniter pulcrae eo abripuit, vt generatim loquendo regulam constituerent, quae iusto durior aliis est visa, iustoque latior.

§. 361.

Conceditur Horatii lex: A. P. 309.

Scribendi recte sapere est et principium et fons. Quando autem contextum et sequentia conferentes *sapere* heic interpretamur philosophiae practicae practice peritum esse: tum multis iusto plura postulasse videbimur. Pari in culpa censetur esse Cicero, qui *id ponit in primis, sine philosophia non posse effici, quem quaerimus, eloquentem,* seque *fatetur oratorem, si modo sit, non ex rhetorum officinis, sed ex academiae spatiis exstitisse*, tandem *oratorem* describit *virum bonum dicendi peritum.* Nec Quintilianus notam effugiet, qui adhuc expressius: *Non potest esse orator, nisi vir bonus. Sit vir talis, qualis vere sapiens appellari possit, nec moribus modo perfectus, sed etiam scientia, et omni facultate dicendi.*

§. 362.

Quid autem? Quemadmodum eruditio male

male ſimulatur coram eruditis: ita et boni mores coram moratioribus. Quam primum ibi non nihil ſupinae ignorantiae, hic inconditorum morum ſub vulpe latentium pellucet: peracta res eſt, et ex iudicum maxime competentium ſententia turpitudinem turpius tegens condemnaris. Quoniam itaque iam extra dubitationem poſitum eſt, nihil pudendae ignorantiae, nihil abiecti plebeiique debere phaenomenon fieri in pulcre cogitandis: primo quaeritur, an diſſimulari ſatis apte poſſit animus vtrinque laeuus, deinde difficilius id ſaltim erit, quam aperto pectore talem et ingenio et moribus te ſiſtere, qualis es, doctorum autem eſt regulas, quas poſſunt, facillimas praeſcribere; tandem, ſi detur aliquem, ingentem ſimulandi per habitum, poſſe virum bonum ita mentiri, vt ne minima quidem in eius cogitandi ratione transpareat mentis animique prauitas, quis vetat, eum virum bonum aeſthetice veriſimiliterque dicere, donec conſtet contrarium? §. 15, 16, 211.

§. 363.

Nunc itaque licebit, quam poſtulauimus §. 45. connatam, exercitiis, §. 50. et diſciplina, §. 63. corroboratam animi magnitudinem determinare paullo curatius abſolutam, animum non honeſtum ſolum, ſed etiam nobilem, §. 213. qui conſuetudine ſimul, altera

 natu-

natura, politius viuere nouerit, cognitionemque tali virorum bonorum generi ordinariam familiarem etiam ſibi facilemque conſequutus ſit. Hic enim et mores ſimpliciter honeſtos et his proportionatam cogitandi rationem exprimere ſufficiet, vires ſuas nonnihil reprimendo, et heroicam viuendi rationem eiusque maieſtatem attingere, ſi volet, et omnes animi neruos in eximia quaedam dignis repraeſentanda modis adſtringet.



SECTIO XXV.

MAGNANIMITAS AESTHETICA COMPARATIVA.

§. 364.

Vera magnitudo animi quoniam tumori non minus, ac humili repentique rationi cogitationum ac vitae inimica eſt, §. 363. tenuia cogitaturum docebit non ſua ſolum ſorte contentum eſſe, ſi vel ipſe ſimpliciter honeſtum vitae genus aſſequi tantum poſſit, ſed et nobilitate morum ac ingenii conſpicuum, et ipſos heroas, neque res de themate concipiendas, neque cogitandi modum ac rationem auguſtius informare, ac res, de qua potiſſimum agendum eſt, permiſerit. In tenui ſi fuerit labor, omnis maior nobilitas et herois-

heroismus ipſe velut exuendus eſt, ad hoc vnum vtiles, vt, quo majores ſunt in aliquo, hoc illi facilius ſit, ita tenuitatis ſeruare terminos, ne in abiecta et ſpinas pro myricis deprimatur, vel ſiniſtris auibus intumeſcat cogitatio. §. 245, 263.

§. 365.

Ad veram et naturalem tenuium magnitudinem exprimendam ſufficit quidem ingenium et pectus in pulcris vnum ex minimis, neque tamen neceſſarium eſt, quoniam, maiora quae poſſunt, et minoribus apta ſunt, ſuis parcere docta viribus. §. 369. Habes nouam inter cogitandi genus in aeſtheticis tenue et meditandi rationes logicas, et conciſas, eamque ſubiectiuam differentiam. Poteſt mens animusque inſigniter philoſophus, niſi pulcra male contemnat, tenue cogitandi genus exprimere, neque tamen huic ſatis magna laudi mens omnis ad philoſophicam meditandi rationem aſſurgere. Potuit Leibnitius excogitare fabellas, non poteſt fabellis vnice commodum ingenium ac animus calculum eius differentialem demonſtrare.

§. 366.

Tenues venas animumque ſua tenuitate, ſed honeſte, contentum ne confundamus cum leuiculis Parnaſſi reptilibus, §. 356, 359. In ipſis tenuibus quidem elegantiis in cogitando

tando difficilis eiusmodi ingenio erit, quantacunque requiratur, επαρσις, §. 235: tantum tamen in pygmaeis Heliconis caput efferet, quantum humo myricae surgunt. §. 180, 195. soliciteque grauitatis magnanimitatisque, quae datur in aestheticis, absolutae studiosum. S. XXIIII. eiusdem comparatiuae, minimum licet, aliquem tamen gradum tuebitur. §. 189, 185.

§. 367.

Vel tenuibus satis magnus laudibilium aestheticorum animus, et ingenio regitur subtili, licet non sit subtilissimum, §. 238. et facetiis illud ac honesta vrbanitate condire, dictisque dicendis ac salibus et iocis lubenter assuescit suo tempore. §. 237. sed ex vere venustis antiquorum exemplis, non ex illa ridicula recentium quorundam formula, quam et auctoritatibus et rationibus ostendit *Vauassor, de ludicra dictione,*

Ire praecipitem in lutum, §. 195. *per caputque pedesque.*

§. 368.

Animus solis tenuibus venuste cogitandis aptus et accommodatus facilius, maioribus autem nec impar difficilius, vterque tamen suam operam etiam in id bene locabunt, ne surgant altius, vel cognoscendo vel appetendo, ac sphaera cogitationum ac morum

rum tenuibus definita protenditur. §. 364. *Admirabilis in ſuo genere Theocritus. Sed Muſa illa ruſtica et paſtoralis non forum modo, verum ipſam etiam vrbem reformidat.* Quint. X. 1. ita, vt pari cum incommodo forum, et vrbem etiam, ea cogitandi ratione, qua Theocritus vſus eſt, cogitare fingeres, et bucolica ex ea notitiarum votorumque ſphaera deſcriberes, qua gaudere ſolent in vrbe, immo in ipſo foro nutriti, ac verſantes aſſidue.

§. 369.

Recte Seruius eundem *Theocritum* laudat *vbique ſimplicem*, *perſonas* addens *in bucolicis eſſe ruſticas et ſimplicitate gaudentes*, §. 213. ſcilicet *a quibus nihil altum*, *nihil vrbanum*, *nihil declamatorium. Virgilii figuras aliquas neceſſitate excuſat.* Falli tamen, qui ornatus omnes, figuras omnes ideo vitare iubent tenuibus proportionate cogitaturum, §. 237. vel ipſum Theocriti probet exemplum, in quo ſane, ſi quis vnquam, poſitiuum etiam ηθος βȣκολικον, §. 194. tuetur. Id. I. 76:

Αδει' α φωνα τας πορτιος, αδυ το πνευμα,
Αδυ δε χω μοσχος γαρυεται, αδυ δε χα βως,
Αδυ δε, κ. τ. λ.

et tamen habet ornatum, figuram, anaphoram. §. 343, 345. Quot idem plenus eſt comparationibus bene agreſtibus, figuris tamen!

§. 370.

Hanc extenuationem virium et parſimoniam in eclogis, §. 368 adeo ſtrenue ſeruaſſe dicunt Virgilium, vt duas tantum ſententias habeat in omnibus, et ſimul ſumtis, quarum vna tamen non effugit criticorum ſeueritatem, ac ſi iuſto maior eſſet in ore paſtoris. Quos falli docet ipſa:

Trahit ſua quemque voluptas.

Cur enim non aliquem paſtorum ſua ſententiarum voluptas traheret, quos Ariſtoteles generatim γνωμοτυπȣς dicit, congruente Ceruantis Sanchone Panſa mirabiliter?

§. 371.

Equidem non ſententias ſolum, ſed et bene multa alia phaenomena, quae figurarum habent apud rhetores nomina, in vulgaribus maxime hominum in honeſtis infimorum ſermocinationibus obſeruaui, mecumque plures, quae figuras non nominamus, quia non ſunt pulcrae cogitationis partes, et circumſtantibus neglectis turpiuſculisque ſic obſcurantur, vt in iisdem peculiaris non detegatur elegantia, caſui potius imputentur, inſtar floſculorum in pratis et ad triuia ſponte naſcentium. §. 26. Quod tamen ideo monetur, vt hoc certius perſuadeamur non peccare in veriſimilitudinem ηϑȣς, ſi quis tenuibus etiam, quaſi aliud agendo,

agendo, non quaesitos, obuios tamen immiscet ornatus eiusmodi, qui possunt figurarum tritis nominibus insigniri, nec ideo talem suam tenuitatis sphaeram transcendere. §. 368. *Et Terentius seruis dat plerumque prudentissimas sententias quidem, sed quae se per naturam offerunt cunctis: vt: Ne quid nimis.* Seruius ad Aen. X.

§. 372.

Singulare documentum animi magni in tenuibus est quaedam eruditionis abnegatio, si data opera majoris ingenii, cognitionis, ac animi vir tenuia tamen expressurus, ne verisimilitudinem laedat, in ejus persona, quem simulat, errorem committit. Huc post Theocritum, Virgilius in exemplum vocatur, quando scribit

I. Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho,

Actaeumque Atticum interpretantur, non ac si Aracynthus fuerit in Attica, sed quasi simularit Virgilius pastoris ignorantiam geographicam:

II. Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxen,

nec constructiones de populis, terris, fluuiis, ad quos veniamus, consuetas adhibet, nec Cretae flumen adscribit, quod habeat, quoniam Oaxen hi quaerunt in Scythia, illi in Mesopotamia. Quos penes verum sit, nosse pastori licet cum ignarissimis.

§. 373.

§. 373.

Quam Longinus S. XXXXIIII. forſan animi ſui ſententiam philoſophi, neſcio cuius, quem loquentem ab initio fingit, ex perſona prodens principem cauſſam indicat, cur ſuis temporibus ſit vniuerſalis adeo ſublimium et magnificorum ingeniorum penuria, ſeruitutem, die dimidium virtutis auferentem: ea, ſi vel plenaria fuerit, praecordiis in libertate maiora auſuris tantum ſaltim relinquit magnitudinis relatiuae, quantum ad tenuia pulcre cogitanda ſatis eſt.

Seruitus obnoxia,
Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis eluſit iocis. Phaedr. l. III.

Quam apologorum geneſin egregie confirmat, prima ſuperſtitum, Iothami fabula de arboribus regem quaerentibus, licet adhuc maius aliquid et ſublimius applicando ſpirans, ac ſeriores mancipiorum ac libertorum fabellae aeſopicae.

§. 374.

Magnitudo animi relatiue minima, vel potentialis etiam tantum, vel ſaltim actualis in elaborandis tenuibus nunc occupatorum eſt ingenium ac propenſio ſimpliciter honeſtam viuendi rationem modumque cogitandi huic congruentem, et negatiue, et poſitiue, ſequi

ſequi aptum et cupida, §. 213, 214. obiecta non mediae ſolum, ſed et maximae menſurae capacia ſimul, ex lateribus ſuis, abſolute quidem magnis et dignis, horum tamen minoribus, contuenda ſiſtere, §. 215. βαϑους, §. 217. et primum, §. 221. et ſecundum genus, §. 245. tumoris, §. 217. et primum, §. 222. et ſecundum genus, §. 263. effugere poteſt, tendit et fouet.

§. 375.

Eadem adeo genus cogitandi ſatis abſolute magnum, praeſertim abſolute dignum, §. 223, exhibere, vile de abiectis, §. 224. vel etiam de tenuibus cogitandi genus, §. 262. cauere, quaerere genus cogitandi abſolute moratum, vt latius, §. 226, ita ſtrictius, §. 228, male moratum vtrumque vitare, §. 228, gradus etiam et intercapedines in ipſis tenuibus belle metiri, §. 233. data occaſione inter βωμολοχιαν, ſcurrilitatem omni modo riſui inhiantem, et αγροικιαν, feritatem omnibus naturaliter aſperi, medium tenere, quod ευτραπελιας aliquando nomine ſignificatur, *in ludo iocisque concinne ſe et decenter gerentium*, et amat, et poteſt, §. 237.

§. 376.

Ευτραπελιας mentionem iniicere non poſſum, quin veniat forſan aliquibus eius in mentem, quod Eph. V, 4. illa omnino Chri-
ſtianis

ſtianis prohibita cenſeatur. Non inquiram heic in id, an omnia per fidem ſanctisſimam illicita poſſint etiam, vt vetita, conſiderari per ſolas aeſthetices regulas philoſophicas: dabo modo obiter interpretationem loci, quam ego veriſſimam habeo: *Ne audiatur quidem inter vos turpitudo et obſcenitas, nec morologia.* Si autem quaeratis, quid morologias amplectar titulo, eſt illa *ευτραπελια (κατα) τα ουκ ανηκοντα, omnis illa cogitandi agendique ratio, quam vrbanitatis feſtiuitatisque titulis tegunt, quae vere tamen decoro, eoque Chriſtiano, contraria eſt,* §. 212.

§. 377.

Difficillimum vtique vel pſychologice tantum rem conſiderantibus haberi debet, ita ingenium deliberato conſilio verſatile reddere, moresque toties amabiliter variare, ſemper tamen rectos et vere bellos, vt

omnis te deceat color, et ſtatus, et res,

neque naufragium facias vnquam in ſcopulos dicacium, obſcenitatem, maledicentiam, vel omnino rerum caeleſtium profanationem, nec dictum tuum vllum, vllum ridiculum, ſuaſore Cicerone, vel ſit nimis frequens, quia ſcurrae hoc eſt, vel ſubobſcenum, quia eſt mimi, vel petulans, quia improbi hominis, nec in calamitoſos, quia iuhumanum, nec in facinoroſos, quia leue id ſupplicium, neque quaeſitum et domo allatum, quia frigidum, nec

fere

fere ad laceſſendum, quia reſpondetur & ingenioſius et humanius, nec in caros vel noſtros, vel multorum, quia odioſum, nec in potentes et dignitate praeditos, quia praeter debitam venerationem et obſeruantiam, nec atrox et contumelioſius in quenquam, quia inſanabile.

§. 378.

Eidem Ciceroni off. I. *facilis eſt diſtinctio ingenui (elegantis, vrbani, ingenioſi, faceti) et illiberalis ioci.* Prior *tempore ſit ac remiſſo animo libero dignus*, eique *ſicut incipiendi ratio eſt, ita deſinendi modus.* Verum ſit facilis in theoria et in abſtracto, quod aiunt, facilis ſit in multis, ex vna parte liberalioribus, ex altera ad infimam humilitatem et faecem vergentibus, inſtar plumbi, ſit facilis animo ſereno, quieto, lente feſtinanti, extraque teli iactum immo extra ipſas partes poſito, velut iudex litem ſuam non faciens. Diſparebit tamen facilitas, ſi iam iamque dictum dicturus, quod ſubito occurrens iam in primo ore habeas, citiſſime tranſitura opportunitate, concipiaris, quod honeſti maleque morati

circa confinia ludat,

nonnihil animo commotior, et in quendam iocandi velut ενθȣσιασμον delatus, S. V. vel ſi dictum examines alterius te vel ipſum, vel tuos petentis, vel a quo certe timeas. e. c.

§. 379.

Secundum nos iudicaturum reor, qui porro perpenderit, an exempla iocorum elegantium ab ipso Cicerone generatim dicta l. c. sint ea vere omnia. 1) *Plautus noster*, §. 262. de quo tamen denuo generatim et indefinite Horatius A. P. 270:

At vestri proaui Plautinos et numeros, et
Laudauere sales, nimium patienter vtrumque
Ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seiungere dicto.

2) *Atticorum antiqua comoedia*, cuius tamen, auctore Horatio l. c. 282. dicacitatis vitio reprimendo lege opus fuit.

Lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit, sublato iure nocendi.

2) *philosophi Socratici*, quorum tamen ipse dux, ab oraculo sapientissimus mortalium declaratus effugere non potuit, quin, referente ipso Cicerone, a Zenone Stoico *scurra atticus* nominaretur. Addamus, velut argumentum ad hominem, et eorum dictum, qui Ciceronem hunc ipsum *scurram consularem* salutarunt iniuria, praeeuntem sequuti Catonem, quando ille subridens aliquando: *Quam ridiculum*, inquit de Cicerone loquens, *habemus consulem.*

§. 380.

§. 380.

Quorſum autem iſta? §. 377-379. Vt non aſſentiamur ſolum Ciceroni, quando ille l. c. *Turpe eſt*, ait, *valdeque vitioſum in re ſeuera conuiuii dicta, aut delicatum inferre ſermonem:* ſed et in ipſis tenuibus et remiſſius ſuo quodam merito cogitandis ευχαριςιαν malimus, ex ſanctiſſimo conſilio, comitatem et gratiam affabilem, non ſine ſale, ſectari, quam aut μωρολογιας valde ſuſpectam, aut periculis vndiqne ſeptam ευτραπελιαν, eo cautiores, quo certius

Riſu eſt inepto res ineptior nulla, §. 376. 191.

§. 381.

Eo promtius natio ſolatium inueniet, cuius forte genius aptus quidem et tenuibus cum dignitate quadam excogitandis et ipſis iocis ac dictis cum lepore iaciendis eſt, gracilitate tamen et ſubtilitate neſcio qua, per quam amabili, vinci dicitur a vicinis aliquibus, quoniam ingenia pulcra ſoli huic characteri forſan nata plura ſi numeret gens quaedam in ciuibus ſuis, mirum non eſt, ea ſi artem, quam ſolam poſſunt aſſequi, colunt felicius, ac vicini, quorum et altius ſurgere plura grauioresque ſimul perſonas induere valent et deſiderant ingenia ac præcordiorum ingentes impetus, §. 249. His enim

facilis iactura iocorum eſt.

§. 382.

§. 382.

Magnum ſatis ad tenuia proportionate cogitanda pectus ac ingenium, et poteſt, et arder hoc magis pura a ſordibus et rerum et ſignificationis eloquutionisue ſua et intaminata ſeruare, quo ſe meminit plebi vicinius, quo hinc facilius poſſet turbae inuolui, quam tamen non minus abhorret, ac illud ſublime:

Odi profanum vulgus et arceo, §. 243.

Idem in abſolute magnis vel minimus, vel nunc ſaltim, ac vnum ex minimis, ſe gerens animus, non ſectatur paradoxa honeſtis tantum non omnibus ex ſimpliciori viuendi formula, ſed ſatagit rerum ſuarum, ſi iisdem probare ſua, ſi iisdem ſine ſalebris ac ſpinis mentem euidenter declarare, ſi poteſt eosdem ejus certiores reddere, quod perſuadere volebat bonis, idque ſine ambagibus, quas pauci capiant aequalium, §. 244.

§. 383.

Magnus in tenuibus laborans eleganter animus mauult aliquam ſiccitatem, quam tumidis vel inanibus emboliis laſciuire, gnarus odioſam eſſe circenſibus pompam, §. 381, 284. exilitatem quandam, §. 249. praeferet lutulento cuiuis flumini, quale Lucilii, ſi

in hora ſaepe ducentos,
Vt magnum, verſus dictabat ſtans pede in vno.

aridum autem, §. 255, exſangue, §. 258, et

ieiunum

ieiunum cogitandi genus, §. 259. aeque abhorrebit, ac friuolum, §. 261. omnia denique cogitabit, volet, aget, ex veteri prudentum formula: *Vti bene inter bonos agier conuenit.*

§. 384.

Magnitudinem animi aeſtheticam huc vsque ſaepius deſcriptam relatiuam ad tenuia ſi placeret breuius SIMPLICEM AESTHETICORVM HONESTATEM appellare: mediis rebus medioque cogitandi generi vel tantum ſufficientem, vel ad hoc tamen vnice iam requiſitam NOBILITATEM ANIMI AESTHETICAM dicere liceret, grauitatem et magnanimitatem materiem aliquam mediam in exaequante cogitationum et digna magnitudine venuſte ſiſtendi ob oculos, §. 189.

§. 385.

In hac concipienda neutiquam excludo *nobilitatem* generis, quam alicubi *blandam* Cicero *conciliatriculam* dicit *opinioni hominum* non parum *commendantem*, eum tamen ingenii pectoriſque tum naturalem habitum, tum vero ſtatum praeſentem et exſiſtentem co[illegible]ri volo, quem nobili loco natus amplec[illegible]

Ni coram Lepidis male viuitur, [illegible]lea, p[illegible]x
Ante Numantinos niſi luditur. Iu[illegible] Sat. VIII.

ſi potius animus dignus illuſtri maiorum ſerie, *altae*

Indicium, mores, nobilitatis habet. Ou. Faſt. III, 2.

aut omnino, quod adhuc maius eſt,

nominibus quum ſit generoſus auitis,
Exſuperat morum nobilitate genus, Triſt. IV, 4.

§. 386.

Qui increpitus a quodam, quod in aciem claudus deſcenderet, pugnare non fugere volo, *reſpondens Spartanus* reſpondiſſe dicitur Valerio Maximo *nobiliter*, III. 7. ex noſtra nunc notione, nec in eiusdem reſponſo ſimplicem modo honeſtatem deprehendes, neque maieſtatem e contrario ſingularem, ſed medium quid inter vtramque, quod illud ipſum eſt accurate, quod nunc volumus, quod vtique iam in ſe magis arduum, ac magnus ſatis tenuibus animus, facilius a bene natis obtinetur, quando ad erectiorem cogitandi rationem politioresque viuendi mores a teneris, quod aiunt, vnguiculis, veluti manu, ducuntur, plus iam difficultatis habet, vt eo ſerius demum eleuentur animi, neque tamen omnino fieri nequit, ſi gnauiter exercearis in laudabili vere nobilium conſuetudine, diſciplinis ac vſu, vehementerque deſpicias, quicquid

quid eſt infra locum, quo tendis, vbique nugarum; §. 191.

§. 387.

Animus ad medium in pulcre cogitandis genus ſatis habiturus nobilitatis, §. 383. non abſolutae ſolum dignitatis memor eſt et tenacior, §. 193. quoniam amicam luto ſuem nobilem nemo dixerit, ſed eius etiam comparatiuae, quam ſtudia moresque verae nobilitatis poſtulant, §. 213, 1) negatiuam. Hinc poterit et volet omnem, etiam longa manu, mouere lapidem, ne quid ignorantiae, ne quid erroris, ne quid prauae conſuetudinis et aegritudinis animorum deprehendatur in cogitandis a ſe venuſtius, quod, etiamſi bene conuenire cum ſimplici ſatis honeſtate poſſit, maiorem tamen perſonarum ac rerum dedeceat ordinem non ſine turpitudine.

§. 388.

Turpe fuit olim *nobili ius ignorare, in quo verſetur*, forſan et erit iterum aliquando. Hinc Iuuenalis ſibi videtur abſurdi quid retuliſſe, dum: *Facundus*, ait *aliquis ima de plebe ſolet defendere cauſſas*

Nobilis indocti, veniet de plebe togata,

Qui iuris nodos et legum aenigmata ſoluat.

Turpe fuit alicubi nobilem non militaſſe. Hinc

Hinc idem Iuuenalis arbitratur, ſe rem abſurdam acu tetigiſſe, quando pergit:

Hic petit Euphraten iuuenis, domitique Bataui
Cuſtodes aquilas, armis induſtrius, at tu
Nil, niſi Cecropides, truncoque ſimillimus Hermae.

In his turpitudinibus, et vere tales, et eae veniunt in cenſum, quae maiorum inſtitutis iudicantur, §. 212.

§. 389.

Animus ad res medias pulcre cogitandas ſatis nobilis dignitatem porro comparatiuam et ſtudiis vitaeque nobilium conuenientem circumſpiciet 2) poſitiuam, vt ea didicerit, et id quidem ſatis exacte, vt ea et nouerit ad finem perducere, et animo conſtanti decernat, quae noſſe, velle, velle conſtanter, et agere, ſimplex forſan honeſtas non poteſt, aut imbecillitate ſua facilius excuſatur, ſi peccauerit, quae vero ſi cum decore poſſint exhiberi, perfectaque ſiſtantur antea dubitantium oculis, tum vero non amplius incertum relinquunt, eſſe, qui talis ſit, non vnum ex multis, ſed eximiis ingenii, virtutis, ac animi dotibus conſpicuum.

§. 390.

§. 390.

Breuitas non patitur ad hanc dignitatem pertinentia congerere, vel omnia, vel pleraque, id eſt omnem paene philoſophiam practicam excutere, eamque mathematicam, et ſimul in late patentem morum in gentibus aetatibusque diuerſorum prouehi oceanum, §. 212. Inadaequatam noſtris finibus, aliquam tamen eius imaginem exhibent Iuuenalis conſilia :

Eſto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer, ambiguae ſi quando citabere teſtis
Incertaeque rei, Phalaris licet imperet, vt ſis
Falſus, et admoto dictet periuria tauro,
Summum crede nefas animam praeferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere cauſſas.
Prouincia quum te
Rectorem accipiet, pone irae fraena modumque,
Pone et auaritiae, miſerere inopum ſociorum,
Reſpice, quid moneant leges, quid curia mandet,
Praemia quanta bonos maneant, quam fulmine iuſto
Et Capito et Numitor ruerint, damnante ſenatu.

§. 391.

Nobilitas, de qua nunc loquimur, §. 388. aſpernatur humillima quaeuis et abiecta, §. 195.

An, quae

Turpia cerdoni, Voleſos Brutumque decebunt?

Sed et illa, quae ſimplici forſan honeſtati non repugnant, ex abſtracta philoſophorum formula, detrahunt tamen ex opinione moribusque hominum, quorum iudiciis ſtare, vel nobilis, exiſtimatio debeat, aliquid illius dignitatis, dum media eſt, non minimae, §. 212. quam ferre in oculis, et a qua ne latum quidem vnguem recedere, ſecum conſtituit cogitando decernendoque, quem nunc animo formamus, aeſtheticus medias res venuſte picturus. Quam durus cenſor eſt poeta?

Laureolum velox, etiam bene, Lentulus egit,
Iudice me, dignus vera cruce.

§. 392.

Animus eleganter nobilis in talibus etiam materiis, quae tenuiter poſſent, poſſent ſublimius cogitari, ſingulare quaeret artificium declarare, non meditatus ſolum, quae proferat, ſed et quae omittat, quando catus et harum rerum peritus ſpectator ipſe ſibi tradet multa, nunc ob tenuitatem, nunc ob ſublimitatem, quae non exhibita deprehendet, deprehendet nihilominus auctori veniſſe in mentem,

tem, ſed eum non remiſiſſe vires, et ſimul iisdem belle peperciſſe, §. 215.

§. 393.

Nobilitas animi, quam nunc volumus, βαθυς, §. 317. praeſertim genus tertium, §. 276. tertium tumoris §. 217. genus ſibi cauendum putat, §. 279. ſequitur potius bene moratam cogitandi rationem, quatenus et relatiue non omne ſolum decorum, ſed et eius gradum in nobiliore hominum conſuetudine paene ſola regnantem obſeruat, §. 228. praeſtabit aliquam quidem remiſſionem cogitationum eleuationemque, praeſertim in opere longiori, §. 273, ſed vti latius aequabilem ſemper, §. 268, ita et plerumque ſimul ſtrictius talem, §. 267, praeferet aliquam mediocritatem, §. 269. mediis etiam ſtrictius attemperatam, §. 270, 271. et pro thematibus electaque ſemel ea ſignificandi formula, nunc altiorem, nunc minus, §. 272. ſpectatori nobilitatem cogitantis animis aequalem circiter afferenti facilem ac ſuauem, §. 274. non abiectis ſolum de media re cogitandi rationibus, §. 278, ſed etiam fluctuantibus et incertis, §. 280.





SECTIO XXVI.

MAGNANIMITAS IN AESTHETICIS GENERE MAXIMA.

§. 394.

Restat MAGNANIMITAS AESTHETICA PER EMINENTIAM SIC DICTA, ſuperius ingenium optimis genere maximisque cultum, et immortalitati natum viuensque mortali iam in corpore pectus generice maximis ſua pro maieſtate cogitandis et par, et inuigilans, omni opera, quod

Hinc ſaepe *inſuetum miratur limen Olympi,*
Sub pedibusque videt nubes §. 318. *et ſidera.*
Saepe *deum vitam,* S. V. §. 206. *accipiet, diuisque videbit*
Permiſtos heroas, idemque *videbitur illis.*

§. 395.

Vrit idem *fulgore ſuo, quas praegrauat, artes*
Infra ſe poſitas

non eas nugatorias ſolum, §. 191.

Faſtidioſo *quas pede proruit,*

ſed etiam magnos ſatis tenuibus, immo mediis, animorum habitus, qui comparati cum hac

hac magnanimitate suis non raro titulis excidere videntur, quos optimo tamen iure habent extra metum comparationis constituti. Cum dignitate quadam aesthetica, §. 193. quae cogitaueris, sunt illa quidem omnia σεμνως cogitata, comparate vero Plinius II. ep. 11. *Respondit*, inquit, *Corn. Tacitus eloquentissimus, et, quod eximium eius orationi inest, σεμνως*, quasi sublimem Taciti grauitatem non attingentes σεμνως respondere non potuissent.

§. 396.

A vilibus et abiectis non auocat §. 195. haec modo

Virtus, recludens immeritis mori
Caelum, negata tentat iter via,
Coetusque vulgares et vdam
Spernit humum fugiente penna:

sed nec contenta quidem est absoluta magnitudine ac dignitate rerum et cogitationum, §. 198, 201. altius *pauperum* aliquando *parentum sanguinem*

Non vsitata nec tenui rapit
Penna,

vt *nec in terris* quidem *longius moretur*, et ipsas *vrbes relinquat, inuidiaque maior per liquidum aethera* sursum *feratur*.

§. 397.

Magnanimitas haec aestheticarum generice maxima virtutem directo sibi sumit in omni sua maiestate pingendam.

Virtus, repulsae nescia sordidae,
Intaminatis fulget honoribus.
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae. Hor. III. od. 2.

cf. od. 3. Per indirectum eiusdem est animorum magnitudinis vitia publica, velut epidemicas aliquas pestes, abominari, §. 203.

Foecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinauere, et genus, et domos.
Hoc fonte deriuata clades
Inque patres populumque fluxit. e. c. od. 6.

cf. II. od. 15, 18. III. 1, 24. Epod. 7. §. 204.

§. 398.

Animorum excellenter magnorum ingenium superius non admittit, vt practici pragmaticique sint cum neglectu theoriae, quam tunc etiam amant et amplectuntur, quando in maximarum naturaliter rerum contemplatione sic haerere fixa videtur, vt subito non appareat, quid eiusmodi consideratio faciat ad mores

mores et vitam beatam. §. 205. Ita in homine verioribus sacris non imbuto non, nisi magnus eminenter, animus haec effatur:

Nil maius generatur ipso (Parente)
Nec viget quicquam simile aut secundum,
Proximos illi tamen occupauit
Pallas honores, e. c. Hor. I. od. 12.

§. 399.

In rebus magnitudine naturali conspicuis, generice maximis, specifice etiam maximorum mentionem in exemplis inieci, diuinorum, ne forsan animos generice maximos sibi formaturus animo Polyphemos aliquos Enceladosue vel contemtores deorum Mezentios secum fabricetur, non eos vere magnos animorum, sed tumide superbos. Prima potius dignitatis positiuae per sublimia lex est: humana quaecunque, vel specifice maxima, diuinis subiicito, §. 206.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis,
Clari giganteo triumpho,
Cuncta supercilio mouentis.

§. 400.

Ex qua formula σεμνως Horatius I. od. 12.

Gentis humanae pater atque custos,
tu secundo
Caesare regnes

Te

Te minor latum reget aequus orbem,
Tu graui curru quaties olympum,
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

Idem de Romano populo, quo maius aliquid in humanis Romanus ignorabat. III. od. 6.

Diis te minorem quod geris, imperas.
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Dii multa neglecti dedere
Hesperiae mala luctuosae.

Dum autem oda 5.

Caelo, ait, *tonantem credidimus Jouem*
Regnare: praesens Diuus habebitur
Augustus.

iam seruitutis, vel iustissimae, saltim acceptissimae, videtur expertus effectum, de quo §. 373., quoque secundum philosophum, quem Longinus citat, nihil euadimus, nisi adulatores μεγαλοφυεις.

§. 401.

Magnanimitas, cuius sublimia Longinus Echo dicit, et de qua nunc loquimur, non omnino quidem transcendit horizontem aestheticum, neque res ita sibi tantum concipit, vti pura philosophiae scientia, maximis tamen generice inter obseruabilia quia potissimum et paene solis inhaeret, versatur in iis mate-

materiis, quae ſunt horizonti rationis logico aeſtheticoque communes, et hinc, ac ſimul aliis ex cauſſis, plus rationis admixtum habet eiusdem analogo, plus diſtinctionis etiam mathematicae, proptereaque gradus in ipſis generice maximis, vt ita dicam, ſpecificos metitur obſeruatque curatius, ac magni, de quibus S. XXV. animi. §. 207. Principum eſt et regum vere magnorum, ingenti cum facilitate, ſuum tamen in omni conſuetudine cuique tribuere, vel in iis, quae minora videantur, et gradus honorum dignitatumque potiorum, vel infra, vel iuxta ſe poſitarum apprime tenere, et ſecundum hanc veluti ſcalam cuiuis reddere perſonae conuenientia.

§. 402.

Hinc ne nobili quidem cogitandi viuendique generi ſufficiens animus non ſolum ad hanc concipiendam magnanimitatem inhabilis eſt, ſed etiam illi falluntur, qui in his generice maximis ſpecifice ſibi maxima ſemper legentes transuolant in his minora ac media, quibus fatentur ſe pulcre cogitandis impares eſſe, grandium interim maxima belle ſe poſſe deſcribere ſecum oppido certi ſunt, §. 209. Vires ſunt potius praetentandae in grandibus, quorum alia in occaſione neglectus ipſe adhuc ſublimior erit, in grandibus, quibus adhuc ſatis multum pompae, cerimoniarum, aurique et oſtri regalis extrinſecus accedit,

cedit, vt tandem vel nudam maiestatem, maiestatem, inquam, herois vnam ex maximis, vel puriora sacra, dum intra mentem peraguntur vnice, sublimius effingere sufficias. *Illa vero deridenda arrogantia est in minoribus nauigiis rudem esse se confiteri, quinqueremes vero, aut etiam maiores, gubernare didicisse.* Cic. de Or. I.

§. 403.

Quanquam satis magnus sublimibus animus non est sapiens ille stoicus, quem,

Si fractus illabatur orbis,
Impauidum feriant ruinae, §. 353.

non leuioribus tamen ille curis afficitur, nec ex tranquilla superum vitam imitante serenitate deturbatur. Minima non curat admodum, neque mouetur vehementius, si qua Parnassi reptilia, censores vitio creati, leuiculam in eius amictu maculam, non quod pueri in faba, reperisse se gloriantur, audaci potius impetu suum putat, in vera regularum collisione, dum fortissimas et Pygmeis ne cognitas quidem leges eleuatiori strenue sequitur orbita, ita rationes suas subducere, vt leuioribus animulis artis suae pusillae, quam vnice norunt, sanctissimas, si diis placet, regulas; vere minores et debiliores, spernere, pessundare, proculcare videatur, non sine pul-

pulcellorum ardelionum lacrimula, vere tamen exceptione non ineleganti. §. 210.

§. 404.

Grauitatem abſolutam aeſtheticam in animis nobilibus collocauimus §. 363., vti Cicero ipſum *moderatorem* ingeniorum ad magna nitentium deſcribit, *non vt quendam magiſtrum atque artificem, ſed quaſi vnum e togatorum numero atque ex forenſi vſu, hominem mediocrem, nec omnino rudem.* Quod ſi vero nobilis eiusmodi animus actu velit ad grandia cogitanda accedere, quaſi ſuimet ipſius et ordinarii ſui ſtatus oblitus, excitandus eſt, et velut extra ſe rapiendus in maius theatrum, quam in quo quotidie perſonam agit, et ita diuis heroibusque miſcendus, vt excelſam aliquam cum iisdem familiaritatem contraxiſſe, nec tanquam in alienum orbem delatus, ſed in eiusmodi conſortio dudum habitans appareat, §. 213, 396.

Auditis? an me ludit amabilis
Inſania? audire et videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae ſubeunt et aurae. Hor. III. od. 4.

§. 405.

Quam nunc quaerimus, magnanimitas non magna ſolum themata, ſed ex ea etiam parte

parte confiderare geftit, qua maiora et grandia apparent. §. 215. Memento Didonis 1) in eleganti illo epigrammate Aufonii:

Infelix Dido, nulli bene iuncta marito!
Hoc pereunte fugit, hoc fugiente perit.

2) quam Ouidius her. ep. VII. pingit hoc epitaphio:

Praebuit Aeneas et cauffam mortis et enfem,
Ipfa fua Dido conciuit vfa manu.

3) illam Virgilii fic ipfam fibi parentantem ad rogum Iliacis veftibus et noto cubili exftructum: IV. Aen. 651.

Dulces exuuiae, dum fata deusque finebant,
Accipite hanc animam, meque his exfoluite curis.
Vixi, et, quem dederat curfum fortuna, peregi,
Et nunc magna mei fub terras ibit imago,
Vrbem praeclaram ftatui, mea moenia vidi.
Vlta virum poenas inimico a fratre recepi,
Felix, heu! nimium felix, fi littora tantum
Nunquam Dardaniae tetigiffent noftra carinae.

§. 406.

Quam Didonem malit magnanimitas heroica fictam a fe? Equidem nihil haefitans Dido-

Didonem Virgilii nomino. Rationem quaeris? Metire praedicata. Primum et in Cigarorum aliquam quadrare poteſt muliérculam, quae primo marito ob crimen in furcam acto fuga ſibi conſuluit, quum autem cum altero marito furfuris eiusdem atrox denuo crimen patraſſet, hoc manibus lictorum elapſo, communis ſceleris poenas morte dedit. Secundum conueniet et vxori cuiusuis militis gregarii, qui fuſtibus eam in talem fortunae coniugalis deſperationem compulerit, vt, hoc abſente, eius gladio ſibi iugulum ſoluerit. Apud Virgilium autem non ſolum excellenter magna eſt, de qua ſermo eſt, ſed ea etiam, quae de eadem praedicantur. §. 405.

§. 407.

Noſtra nunc magnanimitas omni opera cauebit et βαθους genus quartum et omnes eius ſpecies pro gradu turpitudinis, §. 310. Dii Virgilii iam θεοπρεπωτερως loquuntur, agunt, patiuntur, ac Dii Homeri. §. 311. Virago Virgilii de rebus ad ſe pertinentibus commentatur auguſtius, §. 408. quam Dido Ouidii:

Durat in extremum, vitaeque nouiſſima noſtrae,
Proſequitur fati, qui fuit ante, tenor.

En! querulam de perpetua calamitate mulierem ordinariam! Virgilii Dido ſe feli-

cem, excepta nouissima calamitate, fortior praedicat.

Occidit internas coniux mactatus ad aras,
Et sceleris tanti praemia frater habet.

Haec queritur multis virum inultum et sicarium impunem immo praemia habentem; illa breuibus sibi viri vltionem fratisque poenas gratulatur. Prius est cuiusuis foeminae.

Exsul agor, cineresque viri patriamque relinquo,
Et feror in duras hoste sequente vias.
Applicor ignotis, fratrique elapsa fretoque,
Quod tibi donaui, perfide, littus emo.

Quid hactenus legimus in Ouidio, quod non cuiuis praefecti cuiuscunque militaris euenire possit coniugi? §. 312.

§. 408.

Habeat grauitas nationis germanicae per omnes gradus magnorum cum decore decurrens, quae regerat suam gracilitatem vltra modum efferentibus vicinis. Fuit inter eos, quo dicam homuncionem nomine? qui cruciatus hominis optimi maximi genus humanum infinitis malis eximentes ludicris illis nouorum gelasimorum versiculis proscinderet, et Christianus tamen in regno Christianismi videri vellet. Centum ciuibus ipsa Iustitia veniam potius daret in tenuibus peccandi

candi grauiter, quam huic vni in vna re, profecto, grauissima vile cogitandi genus leuissime adhibenti. §. 317.

§. 409.

Grandis illa magnanimitas, vnde sublimia vere sperari possunt, ita auersa est ab omni tumore, quarto eius genere, et huius speciebus, §. 318. vti, si esset alterutrum necessarium, in manifestum prius βαθος delabi, quam crypticis puerilium humilitatibus intricari mallet. Hinc illius in optimis auctoribus adhuc minus rara sunt exempla, ac harum ineptiarum, quibus Martianus Capella, Tertullianus, Sedulius, et his aequales, affatim turgent. Procul hinc magnidica mendacia, et quicquid est insulsae magniloquentiae!

§. 410.

Animus in aestheticis generice maximus imitationem grandium ab Horatio, Cicerone, Longino, ab ipsa ratione per doctrinam de exspectatione casuum similium psychologicam, ita habet sibi commendatam, vt non *exemplaria* solum sublimium scriptorum, pictorum e. c.

Nocturna versare manu, versare diurna,

sed et illustrium per omnes aetates virorum facta dictaque, velut in speculum, intueri, moresque tum suos ipse, quantum licet, tum a se cogitando exprimendos ad horum simi-

 litudi-

litudinem componere gaudeat. §. 285. Nec haerebit in solis clarioribus, eruere maiora quaeuis e tenebris, ab obliuionis iniuria vindicare, et, in ipso hoste si sint, laudare, pro caussae meritis, non erubescit. §. 286.

§. 411.

Animus in dicto saepe gradu magnus, non suspicax est et incredulus, si quid egregii et eminentis audire sibi, vel omnino videre videtur, et, quanquam aera lupinis distinguere dudum didicit, suo tamen experimento nouit, non ardua quaeuis et singulari ex virtute tantum fluentia, iam eo ipso numeranda esse, propter dedecus nostri generis, in absolute incredibilibus, §. 286. 301. Sicut eundem paruae quaedam occasiones parum mouent dignum cedris ad impetum, S. V. ita peculiarem aliis fortius incitationem aliquando sentit, quoniam, et ipsius iudicio,

Paullum sepultae distat inertiae
Celata virtus,

si quando *dicenda Musis praelia*, si heroicum amorem patriae, si praeclaram detegit in multis vitae morumque sanctimoniam, ac illi tamen

omnes illacrimabiles
Vrgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

aut *liuidis obliuionibus* non ita multo post

carpen-

carpendi videntur, si et ipse *sileat eosdem inornatos*. Hor. IV. od. 9.

§. 412.

Magnanimitatis huius vtique natura bene natorum πρωτον και αρχετυπον στοιχειον επι παντων εστι, vti Longinus S. II. liberaliter concedit, non ea solum, quae in ingeniis diuinis et praecordiis ad heroica sola paene natis, sed oppido paucis, est αυτονομως, sed et illa natura, nobilium animorum, §. 404. quae non ordinariis suis quidem viribus, viuis iis tamen et bona per consilia directis in altius quid atque sublimius, per exempla grandia validius incitatis, eo potest et decernit assurgere. S. II.

§. 413.

Neque vero solam naturam, quatenus connascitur, heic certe, paginam vtramque facere, vel hinc efficere mihi posse videor, quod experientia confirmat, optimas maximas, aut saltim bonas excellenter naturas, §. 412. barbarie saeculorum ac aetatis suae, prauis exemplis, praeconceptis magnatum opinionibus, seruitute, vti apud Longinum est. S. XLIV. quasi *quadam animi arcula et publico carcere* posse deprimi, constringi, imminui, §. 359, *quemadmodum arculae*, (*si vera sit fama*) *in quibus nani, vocati Pygmaei, nutriuntur, non solum impediunt incrementa inclu-*

inclusorum, sed etiam contrahunt eos circumposito corporis vinculo. §. 359.

§. 414.

Si qua libertatis externae fraena, si qua seruitus externa deprimendis animis retundendisque maximis quibusuis et studiis et incitationibus apprime facta sunt, quod nullus nego: nec extra oleas vagari mihi videar, si, propter oppositorum oppositas rationes, in primis auxiliis animorum ad vere excelsa leuandorum numerem intimam persuasionem de copioso maximorum euentuum systemate, non praeteritorum solum et praesentium, sed etiam maxima ex parte adhuc exspectandorum, non optima solum et maxima sublimitatis ac venerandae virtutis exempla simpliciter ad imitandum proponente, sed etiam saluberrima proferendi in semet ipsum imperii, fugiendae seruitutis moralis omnis internae, victoriaeque in semet ipsum obtinendae remedia consiliis euidentissimis subministrante, persuasionem, inquam, de veris eiusmodi rebus et gestis et gerendis, quae simul eam animabus vim largiatur ac potentiam diuinitus, vt ne mortis quidem metu possint eo compelli, quo tyrannus improba poscens destinauerit, supernaturale libertatis internae psychologicaeque complementum ac supplementum.

§. 415.

§. 415.

Pergit Longinus, l. c. cauſſas penuriae ſublimium ſuis temporibus ingeniorum enarrare 2) pacem vniuerſi orbis, cui tamen cauſſae et ipſe parum fidit, et ſatis proſpexit Diſcordia fratrum, ne diu poſſit egeſtas heroum imputari, et imputaretur eadem falſo, ſi quando ſperare liceret pacem orbis habitabilis vniuerſalem diuturnam, hominesque ſimul diſcerent excelſas pacis artes, quibus pater patriae ſummos etiam regnorum gentiumque domitores tranſcendit. 3) *Infinitum detinens cupiditates noſtras bellum*, de quo, quale ſit, interpretes diſputant.

§. 416.

Magnanimitatis excellentis ſtatus ordinarius eſt ſtatns tranquillitatis, E. §. 445. ſupra perturbationes animi vulgares et tumultus mentis internos poſitae. Per altam rationis et inferiorum cognoſcendi facultatum, voluntatis et inferiorum appetendi facultatum, harmoniam, quae ſaepe apud eminenter magnos viros reſtat, etiamſi vehementius, nec ſine affectionibus, quoniam homines ſunt, commoveantur. Abripiuntur in παϑος ενϑυσιαςικον, ſi ferat occaſio, ſed probante ratione, rationalique conſcientia, tum antecedente, tum concomitante, et conſequente. Hactenus nihil eſt interni diſſidii. Si qua tamen

men aliquando lucta caelestibus in animis locum habet, non est ea sensitiuarum tantum cupiditatum in alias non nisi sensitiuas, παθων εις παθη, sed decretorum, quibus admixtum sit aliquid sensitiui, pugnantium in meras appetitiones sensitiuas, nec diu, nec in infinitum, sed plerumque vincente parte meliori, cuius victoria profundam iterum pacem et antiquam tranquillis animis serenitatem reducit; M. §. 693.

§. 417.

Cum hoc statu confer statum bestialitatis, E. §. 434. Nulla quies huic, nulla tranquillitas, nulla sopitae rationis et affectuum, et instinctuum, nec horum inter se, concinens harmonia. Crederes nunc

Nimborum patriam loca foeta furentibus Austris,

qui totum hominem

Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.

Falleris tamen. Non ita multo post

Vna Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus,

et suum cuique facinus. Ponat seruitus externa non nihil iisdem repaguli,

Illi indignantes magno cum murmure circum
Claustra fremunt,

luctan-

luctantes intus continuo, et ad primam iterum opportunitatem,

velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt.

Ita misere talis animus nunc auri sacra fame, nunc ambitione et fastu, nunc voluptatum turbine, nunc desidia, nunc aliquibus, nunc omnibus, inter se dissentientibus, agitatur. Hoc est illud infinitum bellum, §. 415. magnanimitati sublimium foetae inimicissimum, §416.

§. 418.

Iam vna dictarum tempestatum infringit satis animum. Recte Longinus in caussis deficientis egregii ac sublimis narrat 4. φιλοχρηματιαν, appellans venuste Φιλαργυριαν νοσημα μικροποιον, §. 45. eiusque cum magno sumtu (Sumtuositate) liberos fingit Fastum et Luxuriam, ex quibus sane non degeneres generentur denuo Contumelia, Iniustitia et Impudentia, quam inter progeniem contabescant et emarcescant animorum magnitudines.

§. 419.

An, haec animos aerugo et cura peculii
Quum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro et leui seruanda cupresso?
A. P. 330.

 Negat

Negat ipse Phaedrus de fabellis, quales scripsit, aut scripsisse dicitur. III. prol. *Nouem artium, quamuis curam*

habendi penitus corde eraserim,
Et laude inuita in hanc vitam incubuerim,
Fastidiose tamen in coetum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quaerit omni vigilia,
Docto labori dulce praeponens lucrum?

cf. Hor. od. II. 15, 18. III. 2, 24.

§. 420.

ϛ) Φιληδονια καταβυθιζει, §. 417, 418. Intemperans deliciarum externarum desiderium eo vsque mores emollit, vt tandem nihil omnino masculi roboris animo supersit, et minime tantum, quantum valoris grandia requirunt.

Vides, vt pallidus omnis
Coena desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque praegrauat vna,
Atque adfligit humo diuinae particulam aurae.

Hor. Serm. II. 2. quae tota paene huc pertinet satura. Numera modo dispendia temporis, quod insumendum est acquirendae theoriae, eiusque empiricae, crebrius repetitis experimentis ad eam certitudinem euectae, quae decet arbitrum elegantiarum eiusmodi,

modi, et miraberis superfuisse nonnihil otii, grauioribus concedendi.

§. 421.

6) Desidiam tandem Longinus in caussis animorum parum aut nihil in sublime surgentium numerat. Qua dum intermittuntur exercitia, non crescit habitus, ac eo ipso crescit desuetudo habitui opposita, id est difficultas, in veram denique degenerans impotentiam.

Inuidiam placare paras, virtute relicta?
Contemnere, miser. Vitanda est improba Siren
Desidia, aut, quicquid vita meliore, parasti
Ponendum aequo animo.

Hor. Serm. II. 3, v. 13.


Ambitionem superbiaeque fastum, naturales tumoris parentes, Longinus omisit, forsan a laudabili philotimia non satis haec vitia distinguens, aut veritus, more multorum, ne funditus his euersis illa simul enecetur, aut saltim eneruetur. Sanioris autem ethices peritus ratione perspicit, quod experientia satis ac historia confirmant, vti separari probe possunt et debent, ita saeculis locisque, quibus veri honoris amori substituta fuit ambitiosa fastus superbia non sublimitatis floruisse regnum, sed tumoris insaniuisse tyrannidem.

§. 422.

§. 422.

Veram amans in cogitando pulcritudinem, vt poſſis magna, S. XV. abſolute, S. XVI. pro relatiua ſua magnitudine, S. XVII. proportionatis materiae cogitationibus, S. XVIII. vel tenui, S. XVIIII. vel medio, S. XX. vel ſublimi cogitandi genere, S. XXI. ſine vitiis, quae in maximis eſſe ſolent maxime conſpicua, S. XXII. augere: S. XXIII. connatam pectoris tui magnitudinem, quam habeas aliquam oportet, §. 45. et ad abſolutam grauitatem compone, S. XXIIII. et erige, quousque ſurgere poterit, S. XXV. felix, ſi ſublimitatibus etiam attingendis ſuffecerit. S. XXVI.

Non, ſi priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces,
Steſichorique graues, camoenae,
Non, ſi quid olim luſit Anacreon,
Deleuit aetas. Hor. IV. 9, od.

SECTIO



SECTIO XXVII.

VERITAS AESTHETICA.

§. 423.

Tertia cura fit in rebus eleganter cogitandis, §. 115, 177. VERITAS, M. §. 515. sed AESTHETICA, §. 22. i. e. veritas, quatenus sensitiue cognoscenda est. Veritatem obiectorum metaphysicam nouimus conuenientiam eorundem cum vniuersalibus maxime principiis, M. §. 92. et inde Leibnitium intelligimus, qui Theodicaeae T. II. p. m. 312: *Potest*, inquit, *dici aliqua ratione principium contradictionis et rationis sufficientis inclusum definitioni veri et falsi.* Nam repraesentatio veri in aliquo obiecto metaphysici, quatenus intra animam certi subiecti peragitur, est ea conuenientia repraesentationum cum obiectis, quam plerique *veritatem logicam* nominant, alii *mentalem*, afficientiae, correspondentiae et conformitatis, dum metaphysicam veritatem materialem appellant.

§. 424.

Posset metaphysica veritas obiectiua, obiectiue verorum repraesentatio in data anima SVBIECTIVA dici VERITAS, vel etiam in verbis faciles *logicam* tandem dicamus cum pluri-

plurimis, ſed *latius*, vt in re conueniamus, cuius potiſſimum cauſſa haec repetuntur aliquantulum altius. Iam enim reor liquidum eſſe, VERITATEM, metaphyſicam, vel obiectiuam quum dixeris, vt lubet, in anima data ſic repraeſentatam, vt det in eadem veritatem logicam latius dictam, vel mentalem et ſubiectiuam, nunc obuerſari intellectui potiſſimum in ſpiritu, dum eſt in diſtincte perceptis ab eodem, LOGICAM STRICTIVS DICTAM, nunc obuerſari analogo rationis et facultatibus cognoſcendi inferioribus, vel vnice, vel potiſſimum, *aeſtheticam*. §. 423.

§. 425.

Lege, ſis, conſilium, quod Chremes in Terentii Heaut. III. 50. 1. Menedemo ſuppeditat, et hunc deprehendes de veritate quadam aeſthetica loqui regerentem:

Videre verum, atque ita, vti res eſt, dicere.

Memento ſaturarum, quando *veritatem, odium* ſaepe *parientem*, exponere non dubitant, neque

teneras mordaci radere vero
Auriculas,

ſuo tutae quaſi priuilegio:

quanquam ridentem, dicere verum
Quis vetat?

easque confer cum practicis, eiusdem quae videan-

videantur argumenti, consiliis ethici cuiusdam philosophi curatius sua demonstrantis ac scientifice: et deprehendes in exemplo differentiam veritatis aestheticae, et strictius logicae. §. 424.

§. 426.

Communis est logicis aestheticisque meditationibus, quam Cicero off. II. 18. paene genetice describit, *virtus*, quae vertitur *in perspiciendo, quid in quaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique* (conuenientiam cum principio contradictionis), *quid consequens*, (conuenientiam cum principio rationati, M. §. 23.) *ex quo quaeque gignantur, quae cuiusque rei sit caussa*, (conuenientiam cnm principiis rationis, M. §. 20. et rationis sufficientis, M. §. 22.) Verum quando nituntur illae distinctam et intellectualem ad harum rerum perspicientiam, hae subsistentes intra suum horizontem, easdem sensibus et analogo rationis eleganter intueri satagunt. §. 424.

§. 427.

Si VERITATEM mentalem et subiectiuam, veritatem repraesentationum omnem, quae huc vsque logica tantum dicta est, dicamus AESTHETICOLOGICAM: non ea distinguentium est sententia, ac si 1) aesthetice vera quaedam, immo multa, non essent simul

ſimul logice vera, quod lubenter concedimus. In ea Naturae alloquutione ad mori detrectantem; quam Lucretius fingit. III. 940-957. cuique vere ſatis ſubiicit:

Quid reſpondeamus, niſi iuſtam intendere litem
Naturam, et veram verbis exponere cauſſam?

ſunt omnia fere ſimul logice vera, M. §. 265. E. §. 252.

§. 428.

Neque negamus, neque neſcimus, 2) veritatem aeſtheticam in pulcre pingendis partibus ſaepe dare veritatem totius logicam, et vix aliter fieri poſſe, ſi partium abſoluatur et ad finem perducatur enumeratio. Hoc vnum obſeruamus, veritatem ab aeſthetico, quatenus intellectualis eſt, non directo intendi, ſi per indirectum ex veritatibus aeſtheticis pluribus vna prodeat, aut cum aeſthetice vero coincidat, de illo ſibi gratulari aeſtheticum rationalem, §. 38. neque tamen illud eſſe, quod nunc potiſſimum quaerebatur, §. 423.

§. 429.

Si qua vero ſit veritas logica, ſtrictius dicta ſcilicet, §. 424. non niſi per intellectum cogitanda; vel illi ſubjecto, quod pulcre cogitaturum ſupponitur, vel iis obiectis perſonalibus, quorum gratia potiſſimum cogitas,

et vtrumque denuo, vel ſemper, vel certis nunc ſane rebus circumſtantibus: eſt ea ſupra horizontem aeſtheticum conſtituta, et recte, ſaltim praeſens in tempus, omittitur. §. 15, 121. Eclipſin annularem anni praeterlapſi cogita tecum aſtronomus, non phyſicus ſolum, ſed et mathematicus, aut cum aſtronomis, eandem autem cogita paſtor, vel ſodalibus, vel tuae Neaerae: ohe! quot vera cogitaſti prius, nunc omnino praetermittenda!

§. 430.

Sunt veritates quaedam adeo paruae, vt eas ſectari vel commemorare ſit infra horizontem aeſtheticum, ſaltim infra pulcram magnitudinem, nunc abſolutam omnino, nunc relatiuam certe. §. 120, 178. Has veritates infinite paruas non curat aeſtheticus. §. 191, 221. Nec hiſtorico quidem ſeueram hanc ſine exceptione legem ſcriptam putat: *Ne quid veri non dicat*, ipſe legens Aen. VI.

Iuuenum manus emicat ardens
Littus in Heſperium. - -
At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Praeſidet, horrendaeqae ſimul ſecreta Sibyllae,
Antrum immane, petit.

nec curat, nec cogitat, quo pede primum Aeneas Italiam tetigerit, et veriſſimum interim

eſt, aut ſiniſtro, aut dextro, niſi vtroque, quod minus decorum.

§. 431.

Veritas aeſthetica poſtulat obiectorum eleganter cogitandorum I. poſſibilitatem, §. 426. 1) abſolutam, M. §. 15, 90. quatenus ſenſitiue cognoſcenda eſt. §. 423. i. e. ne in obiecto, dum illud vel in ſe ſpectare placet, iam aliquid notarum ſibi inuicem contradicentium, vel a ſenſibus et analogo rationis, obſeruetur. M. §. 8. Quaedam peccatorum inaequalitas habet hanc poſſibilitatem, et hinc etiam aeſthetice vera eſt. M. §. 272. E contrario

Queis paria eſſe fere placuit peccata, laborant,
Quum ventum ad verum eſt. Senſus moresque repugnant,
Atque ipſa vtilitas, iuſti prope mater et aequi.
Hor. Serm. I. 3.

§. 432.

Veritas aeſthetica poſcit poſſibilitatem obiectorum ſuorum, §. 431. 2) hypotheticam, §. 426. M. §. 16. et hanc quidem denuo A.) naturalem, M. §. 469. quatenus cum certa libertate propius non connectitur, et ab analogo rationis diiudicari poteſt. §. 423. Hanc deprehendo in Aen. IX. 100.

Tum

Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Insit. Eo dicente, deum domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus, silet arduus aether.

§. 433.

Veritas aesthetica requirit possibilitatem in obiectis suis B.) moralem a) latius dictum, M. §. 723. vt non nisi a libertate deriuanda, talia etiam et tanta sint, qualia et quanta ex data libertate, data persona et charactere e. g. hominis certi morali fluere videantur analogo rationis. Hoc est illud *ad veritatem vitae propius accedere*, secundum quod sane non perinde est,

Maturusne senex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus, et matrona potens, an sedula nutrix
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli,
Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis

loquatur, aut obiectum occupationis, aut personale sit. Hor. A. P. 115.

§. 434.

Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi:
Si fautoris eges aulaea manentis, et vsque
Sessuri donec cantor: vos plaudite, dicat:
Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,

Mobilibusque decor naturis dandus et annis. 153.

Semper in adiunctis aeuoque morabimur aptis, 178.

Hinc Horatius commendabat et philosophiam practicam, vt ita dicam, applicatam §. 126. 361. 212. quia eam probe tenens *ille, profecto,*

Reddere personae scit conuenientia cuique. §. 433.

et artis aut notitiae illius, quam *Theophrasti characteres morum* inchoarunt, et Gallicus posthinc Theophrastus locupletauit, vtilitatem suo tempore iam perspiciens,

Respicere exemplar vitae morumque iubebat v. 317.

Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.

§. 435.

Veritas aesthetica requirit possibilitatem moralem b) strictius dictam, M. §. 723. in cogitante non solum ipso, S. XXIIII-XXVI. sed et obiectis explicite vel implicite probandis ab eodem, breuius, in pulcris cogitationibus, si vel Acheronta describant, §. 422. sed eam tantum, quae cadat in sensus et analogi rationis sub trutinam. §. 211. Haec est illa VERITAS MORALIS, qua, secundum Horatium,

Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.

Quem-

Quemadmodum §. 433, 434. poſtulatam ego dicerem VERITATEM MORALEM LATIVS DICTAM, ſic hanc lubentius STRICTIVS DICTAM, appellarem veritatem moralem, ac illam STRICTISSIME DICTAM, conuenientiam ſignorum cum mente noſtra, quae ſi virtus ſit, iam habet ſinceritatis titulum, ſi vitium ſit, iam ſecum fert rimoſitatis ignominiam. E. §. 339.

§. 436.

Huius veritatis moralis, ſed aeſtheticae, huius dignitatis in cogitando venuſtius, §. 435, 182. limites aeſtheticos belle monſtrat Cicero pro Mur. quando 74. *At enim agit*, inquit, *mecum auſtere et Stoice Cato, negat verum eſſe, allici beneuolentiam cibo*, e. c. et pro veritate aeſthetica morum, in quos inuectus erat Cato, velut in ambitum, reſpondet: *Horribilis oratio, ſed eam vſus, vita, mores, ciuitas ipſa reſpuit.* e. c. 75. *Quare noli, Cato, maiorum inſtituta, quae res ipſa publica, quae diuturnitas imperii comprobat, nimium ſeuera oratione reprehendere.* e. c. 76. *Quod ais: Nulla re allici hominum mentes oportere ad magiſtratus mandandum, niſi dignitate* (quatenus intellectualiter vnice concipitur a philoſophis, §. 211, 212.): *hoc tu ipſe, in quo ſumma eſt dignitas, non ſeruas. Cur enim quenquam,*

quam, vt studeat tibi, vt te adiuuet, rogas? e. c. 77. *Quid? quod habes nomenclatorem.* e. c.

§. 437.

Veritas aesthetica requirit obiectorum pulcre cogitandorum, II. nexum cum rationibus et rationatis §. 426, 431. quatenus ille sensitiue cognoscendus est, §. 423. M. §. 24. per analogon rationis, M. §. 640. Exemplum esto Coriolanus Liuii. II. ipsius nominis, et auctoritatis primae ratio est, c. 33. hinc altiores spiritus in tribunitiam potestatem, c. 34. vnde plebis ira, ex hac exsilium Coriolani, et hostilis eum ad Volscos, non sine ratione ex antecedentibus manifesta, rapiens animus, communicata hinc cum hospite Tullo consilia belli in romanos, c. 35. horum consectarium callidum Tulli artificium, et noua Volscae plebis indignatio in romanos, c. 37.

§. 438.

Hinc decernitur bellum, duces Tullus et *Marcius*, Coriolanus noster, *exsul romanus*. Ob huius fortitudinem prosperum Volscis initium, plebis Romanae trepidatio, hinc prima romanorum legatio, *atrox responsum* quae retulit, reuersa ad hostem non recipitur. Hinc sacerdotes supplices. Quoniam et hi frustra, iam paene muliebris timor persuadit Romam, c. 39. Mater, coniux, et turba

ba mulierum tandem mouent durum animum, quod ne ſine ratione fieri videatur, fingit matris orationem ſane patheticam hiſtoricus. Hinc caſtra hoſtilia retro mouentur, neque tamen diſparet Coriolanus, niſi poſt aliquam reliquorum eius fatorum mentionem. Romae autem exigitur Fortunae muliebris monumentum. c. 40. Quanta in his harmonia concinit alendo recreandoque legentium analogo ſaltim rationis? §. 437.

§. 439.

Veritas aeſthetica poſcit poſſibilitatem obiectorum et abſolutam et hypotheticam, qua ſenſitiue perſpicitur, §. 431-436. omnis poſſibilitas poſtulat vnitatem, M. §. 73. abſoluta abſolutam, hypothetica hypotheticam, M. §. 76. Hinc et veritas aeſthetica vtramque poſcit vnitatem in cogitandis ſuis, quatenus ſenſitiue deprehendi poteſt, inſeparabilitatem determinationum in cogitandis, ſalua perceptionis totalis pulcritudine. §. 73. Erit haec obiectorum VNITAS, quatenus phaenomenon ſit, AESTHETICA, vel determinationum internarum, M. §. 37. quo vnitas ACTIONIS, ſi obiectum pulcrae meditationis actio ſit, vel externarum et relationum, M. §. 37. circumſtantium, M. §. 323. quo vnitas LOCI ET TEMPORIS, M. §. 325. 281.

Sit, quod vis, ſimplex duntaxat et vnum,

et placentem ſimul rotundam illam breuitatem S. XIII. XIV. et pulcram obtinebis cohaerentiam, §. 437. Hinc Auguſtino placuit adeo *vnitas*, vt eam *omnis pulcritudinis formam* diceret.

§. 404.

VERITAS AESTHETICOLOGICA, §. 424. vel eſt vniuerſalium et notionum, iudiciorumque generalium, vel ſingularium et idearum, M. §, 148. Illa GENERALIS. Haec SINGVLARIS eſto. Veritatis generalis in obiecto nunquam tantum veritatis metaphyſicae detegitur, praeſertim ſenſitiue, quantum in obiecto veritatis ſingularis. M. §. 184. Quoque generalior eſt veritas aeſtheticologica hoc minus veritatis metaphyſicae in eiusdem obiecto, et omnino, et praeſertim analogo rationis, repraeſentatur, M. §. 150, 184. Habes rationem vnam, ob quam aeſtheticus veritatis, quam obſeruare poſſit, maximae ſtudioſus, §. 22, veritatibus generalioribus, abſtractiſſimis et maxime vniuerſalibus, determinatiores, minus generales, minus abſtractas, et generalibus omnibus ſingulares praeferat, quantum poteſt. Idem vbertas ſuadet §. 115. quia quo magis determinatum habes obiectum, hoc plures ſimul differentias, M. §. 151. hocitaque plura pulcre cogitare de eodem conceditur. Idem magnitudo, et naturalis, et dignitas aeſthetica iubet,

iubet, ſi connumeres ad magnitudinem vniuerſalis quamcunque accedens in eius inferiori differentiae ſimul pondus, grauitatem, foecunditatem, §. 177.

§. 441.

Veritas aeſtheticologica generis eſt perceptio magnae veritatis metaphyſicae, veritas aeſtheticologica ſpeciei eſt perceptio maioris, veritas indiuidui, ſeu ſingularis, aeſtheticologica eſt perceptio maximae, qua genus, veritatis metaphyſicae. Prima veri, ſecunda verioris, tertia veriſſimi. §. 440. Veritas ſingularis vel eſt internorum entis optimi maximi, vel abſolute contingentium. Contingentia non repraeſentantur, vt ſingularia, niſi vt poſſibilia integri alicuius vniuerſi. Hinc veritas ſingularis de contingentibus aut ea ſiſtit, vt poſſibilia et partes huius vniuerſi, M. §. 377. et haec veritas cum veritate abſolute neceſſariorum maxima dicitur STRICTISSIME, popularique ſermone ſimpliciter, VERITAS, aut vt poſſibilia alterius vniuerſi, eiusque partes, cognitioni hominum mediae, M. §. 876. VERITAS HETEROCOSMICA.

§. 442.

Veritas ſtrictiſſime dicta §. 441. *eſt*, quam deſcribit Cicero de Inu. II. 162. *per quam immutata* (non mutata) *ea, quae ſunt, aut ante fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur* (percipiuntur),

tur), quamque conferre videtur cum veritatibus minoribus Quaeſt. Tuſc. V. 13. *Chorus ille virtutum*, inquiens, *(conſtantia, grauitas, fortitudo, ſapientia, reliquae) in equuleum impoſitus* (veritate vel generali et abſtracta, vti *Stoicorum iſta guſtata magis, quam potata, delectant*, vel heterocosmica, §. 441, 440.) *imagines conſtituit ante oculos cum ampliſſima dignitate*, S. XXI. *vt ad eas curſim perrectura, nec eas a ſe beata vita deſertas paſſura videatur* (cognitioni mediae §. 441.) *Quum autem animum ab iſta pictura imaginibusque virtutum* (vel generalibus et abſtractis, vel heterocosmicis) *ad rem veritatemque* (ſtrictiſſimam) *traduxeris: hoc nudum* (heterocosmicis mediae cognitionis obiectis ſpoliatum et ab iis omnibus ſeparatum) *relinquitur, poſſitne* (in hoc vniuerſo ſingulariter et in concreto numerico) *quis beatus eſſe, quam diu torqueatur.*

§. 443.

Veritatum aeſtheticologicarum generalium eae tantum aeſtheticae ſunt, quae et quatenus analogo rationis, ſalua venuſtate, ſenſitiue repraeſentari poſſunt, §. 440, 423. vel manifeſto, et explicite, vel cryptice in omiſſis enthymematum enunciationibus, vel in exemplis, in quibus, tanquam concretis, haec abſtracta deprehendantur. Hac ratione ipſum identitatis principium, M. §. 11. eſt in

Plauti,

Plauti, quis crederet? prologo captiu:

Hos, quos videtis ſtare hic captiuos duos,
Illi, qui adſtant, hi ſtant ambo, non ſedent.
Vos, vos mihi teſtes eſtis me verum loqui.

§. 444.

Strictiſſime verorum eatenus eſt veritas aeſthetica, quatenus ea ſenſitiue percipiuntur vera, ſenſationibus vel imaginationibus, vel etiam praeuiſionibus non ſine praeſagio, nec amplius, et ſub eadem hypotheſi veritates heterocosmicae ſunt veritates aeſtheticae, neque plures, neque pauciores, quam analogo rationis percipiendae. §. 441. Leibnitianam putas diſtinctionem, iam eſt Tibulli, qui in Meſſallae pan. L. IV. 1. de erroribus Vlyſſis multa narrarat, ita ea finiens, v. 80:

Atque haec ſeu noſtras interſunt cognita terras, (ſtrictiſſime vera, §. 442.)
Fabula ſiue nouum dedit his erroribus orbem. (heterocosmice vera, §. 441.)



SECTIO



SECTIO XXVIII.

FALSITAS AESTHETICA.

§. 445.

FALSITAS AESTHETICA est falsitas subiectiua et disconuenientia cogitationum cum veritate rerum cogitandarum, quatenus illa sensitiue percipi potest. §. 423, 426. Optime Cicero: *Falsum est, in quo perspicue est mendacium*, si de aesthetica falsitate intelligatur, et perspicuitas sensitiua cogitetur. M. §. 531. Quando autem exemplo vult notionem suam illustrare, num illud ad rem probe faciat, nostrorum sapientes temporum viderint. *Hoc*, ait, *modo: Non potest esse sapiens, qui pecuniam negligat.*

§. 446.

Non, qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiusque medullis,
Quam qui non poterit vero distinguere falsum.
Hor. l. ep. 10. 26. §. 423, 448.

Neque tamen huc omnis subiectiua falsitas §. 424. pertinet, sed qualem pingit Horatius ad caput artis poeticae:

Huma-

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Addere si velit, et varias inducere plumas
Vndique collatis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne:
Spectatum admissi risum teneatis, amici?
Credite, Pisones, illi tabulae fore librum
Persimilem, cujus, velut aegri somnia, vanae
Finguntur species, vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formae.

§. 447.

Non ab ouo, sed a falsis orditur Horatius, quodque lepidum videatur, ab iisdem Antonius apud Ciceronem de or. II. 30. Ille tamen ab aesthetico, §. 445, 446. Hic ab aestheticologico generatim, §. 427, quoniam in caussarum patronis, quales Crassus et ipse, affirmat aliquando *necessarium* esse *alterutri falsum dicere, et vtrumque eorundem eadem de re alias aliud defendere, quum plus vno verum* (in se, et obiectiue, et strictissime) *esse non possit.* Hinc concedit omnem bene differendi in foro *rem mendacio nixam*, neque male fert Catulum eum exagitantem, quod *non magis gloriose putarit a veritate ordiri, quam a nescio qua dignitate.*

§. 448.

Sint quaedam aestheticologice falsa, §. 427. immo

immo etiam hoc ſignificatu mendacia, §. 447. tunc tamen erunt demum aeſthetice falſa, ſi ſint ipſi analogo rationis perſpicue mendacia, §. 445. Exempli loco ſit ipſa de veritate diſputatio. Contendant inter ſe philoſophi dogmatici ex hac, academici ſcepticique ex altera parte ſubtiliter, *de vero et falſo* (logice et metaphyſice) *de* eius *regula* et criterio (primo, abſtracto et ſcientifico) de *notione* vtriusque, *qua poſſint internoſci* (diſtincte, complete, ſcientifice) Digrediantur in id, *quod intereſt inter rectum et prauum* (vniuerſalius et logice conceptum) Redeant ad catholicam et primam *veritatis notam*, et logicum *iudicium*. Pone partem vtramque, quam fieri poteſt, curatiſſime ſuam defendere ſententiam. Ambos analogon rationis ſuſpiciet attonitum nonnihil, veluti tacitus ſpectator, niſi forſan aliquando ſcepticorum applaudat ingenio verſatili. Finge tamen academicorum aliquos eo tandem procedere, vt omnino *tollant, vt quicquam poſſit ita videri, vt non eodem modo* (et gradu euidentiae) *falſum etiam ita poſſit videri*. Tunc forſan cum durius iuſto iam commotis dogmaticis concinet: *faciunt pueriliter*. Cic. quaeſt. ac. IV. 33. Vltimum enim eſt et aeſthetice falſum. §. 445.

§. 449.

Quaere ex Lucretio, §. 448.

Notitiam veri quae res falſique crearit,

Et

Et dubium certo quae res differre probarit.
III. 477.

respondebit, aesthetice verum, §. 423.

Inuenies primis a sensibus esse creatam
Notitiam veri, neque sensus posse refelli,
-- -- --
Sponte sua veris quod possint vincere falsa.
-- -- --
An ab sensu falso ratio orta valebit
Dicere eos contra, quae tota a sensibus orta est?
Qui nisi sint veri, ratio quoque falsa sit omnis.

et contrarium ostendet aesthetice falsum, §. 445: Sensui diffidere

Est manibus manifesta suis emittere quaequam,
Et violare fidem primam, et conuellere tota
Fundamenta, quibus nixatur vita salusque,
Non modo enim ratio ruat omnis: vita quoque ipsa
Concidat extemplo, nisi credere sensibus ausis,
Praecipitesque locos vitare. e. c. 511.

§. 450.

Si cui mirum videatur, non omne falsum in aestheticis falsum esse, §. 448. desinet forte mirari, si multo restrictiorem adhuc falsi significationem iure, quod perfectissimum fertur,

fertur, comprobatam legerit, D. tit. de L.Corn. de falsis, l. 23: *Quid sit falsum quaeritur? et videtur id esse, si quis alienum chirographum imitetur, aut libellum, vel rationes intercidat, vel describat, non, qui alias in computatione, vel in ratione, mentiuntur.* En! aestheticum §. 15. in diiudicandis falsis tamen ipso Paullo ICto seueriorem! §. 445.

§. 451.

Interim sub tutela Iustitiae Romanae numero falsorum ab aesthetico, qua tali, fugiendorum eximo, quae puriori quidem intellectui patent falsa esse, sed tunc demum, quando eriguntur supra horizontem astheticum, §. 16, 121. nisi tanta rationis impugnentur quaedam ex iis euidentia, quae omnem eorundem sensitiuam perceptionem, ceu lumen maius, non solum obscuret, sed etiam disiiciat omnino deprimatque, veluti nebulam aliquam altiore sole disparentem. §. 423, 429.

§. 452.

Pone in duabus pulcre cogitandi materiis analogo rationis soli ac sibi relicto nihil pellucere falsitatis et absurditatis, vtrasque tamen esse logice falsas. Iam locus, et aetas, in quibus, et obiecta personalia, quibus potissimum cogitas, penitius inspicienda sunt. Prima datarum materiarum ita logice falsa sit, sed

vt ibi, vbi viuis, tuis temporibus, et iis, quorum maxime gratia cogitas, vel incognita omnino praesumi possit falsitatis demonstratio, vel eos saltim tua pulcre meditando non admodum eandem animo praesentem habituros esse. Haec cogitari potest sine falsitatis aestheticae macula, §. 451.

§. 453.

Secunda sumendarum §. 452. materia sit apud multos plura per saecula sensitiuis animarum facultatibus visa vera: tunc autem et ibi, vbi viuis, iisque, quibus inprimis tua probare velis, sit iam eius falsitas rationis, etiam illuminatae, viribus, ita patens, et manifesta, vt nec eius oblituros esse suae certitudinis rationalis, dum examinant tua, sperare possis, sed potius metuendum sit, ne omni tuo conatu iisdem, plausus instar, extorqueas acclamationem similem illi:

Maxima de nihilo nascitur historia.

Haec secunda materia falsitate laborat, etiam aesthetica, quia ratio impedit, quicquid illi forsan adhuc insit ueri, nunc infinite parui, §. 430. sensitiue cum aliqua vi et delectatione percipere. §. 423, 451.

§. 454.

Sunt falsitates quaedam adeo paruae, vt earum cautio sit infra horizontem aestheticum, §. 120. Hae an irrepant aliquando co-

gitationes inter elegantiores, nec ne, non curat aestheticus, §. 191. In descriptione noctis apud Virg. Aen. IV. 522:

Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, siluaeque et saeua quierant
Aequora, quum medio voluuntur sidera lapsu,
Quum tacet omnis ager, pecudes, pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis,
Rura tenent somno, positae sub nocte silenti,
Lenibant curas et corda oblita laborum.

cauit poeta, ne feras ipsi per noctem maxime vagantes obiiceres, determinatione generum in animantibus, de quibus velit intelligi. Si vero pergeres insistere quasi serio, indefinite, adeoque vniuersaliter loqui Maronem, probabiliter tamen excipiendos esse quosdam aegrotos, vel vnam aliquam lusciniam, vix te, credo, responsione dignaretur, si viueret.

§. 455.

Sit, quod eleganter cogitare aggrederis, somnium obiectiue sumtum, M. § 91. cuius iam intus et in cute latet destructura illud serius aut citius absoluta contradictio, M. §. 15. aut ex pluribus eiusmodi vanis rerum speciebus,

ciebus, aut ex veris in ſe vanus tamen et ſtructura incompoſſibilium laborans animo tibi ſurgat mundus fabuloſus, M. §. 91. Illud autem, vel hic etiam, ita ſe habeat, vt 1) impoſſibilitatis internae vitium prorſus non pateat analogo rationis 2) rationi ac intellectui, quas in te ſpectatoribusque tuis praecipuis praeſumere debes, vel etiam lateat, vel ſaltim ea non obuerſetur euidentia, quae totam pulcre placituri operis fabricam, velut aranearum telas, disiectura ſperari debeat: Hoc ſomnium, hic mundus fabuloſus per tribunal aeſtheticum non annihilatur. §. 452.

Sic vnum ſectantur iter, et inania rerum
Somnia concipiunt et Homerus et acer Apelles. Prud.

§. 456.

Somnium eiusmodi, vel mundus fabuloſus, §. 455. vel 1) ipſi rationis analogo ſiſtat iam pugnantia, ſe mutuo tollentia, abſurda, vel 2) rationis et intellectus, apud tuos ſpectatores, toties iam nigrum theta inuſtum habeat, vt contra omnem rationem, nunc etiam, quae cogitas, te cogitare illos judicaturos certus eſſe poſſis, et eiusmodi ſomnia, mundi eiusmodi fabuloſi, ob falſitatem etiam aeſtheticam, ex campo meditationum venuſtarum exſulent. §. 453, 431.

Pictoribus atque poetis,

Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas,
Sed non, vt placidis coeant immitia, non, vt
Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.

§. 457.

Eſt ingeniis excitatioribus quaedam DYNAMOMETRIA NATVRALIS, et menſura virium ad ſenſum, quem aiunt, communem relata, rationis analogon ingenio proportionem inter cauſſam et effectum ſenſitiuo ponderans. Sit itaque effectus a te viribus cauſſae, quibus adſcribitur, viuis maior vel minor, hinc naturaliter impoſſibilis, ſed ita, vt nec deſcriptae nunc virium notitiae mathematicae, nec rationi iam intellectuique per ſummam euidentiam pateſcat dicta disproportio, et cenſorem aeſtheticum ſine nota turpitudinis eiusmodi naturaliter impoſſibile praeteruehetur, velut Atlas olim, qui caelum tulerat.

§. 458.

Si deus interſit, vbi nodus tanto vindice dignus non appareat, ſi quid per rerum naturam fieri non poſſe, vel analogo rationis, de quo §. 457. vel intellectui, nunc etiam, quando cogitandum illud eſt, euidentiſſime manifeſtum ſit, talis cogitatio ex pulcris exſulet. §. 432. 453.

Ne, quodcunque volet, poſcat ſibi fabula credi,

Neu

*Neu pranſae Lamiae viuum puerum extra-
hat aluo.*

Centuriae ſeniorum agitant expertia frugis

§. 459.

Difficile erit dynamometriae naturali, de qua §. 457. non Homeri ſolum, ſed et Virgilii clipeum animo ſibi formare, etiamſi meminerit dei artificis. 1) Quomodo in definito humanam per ſtaturam, licet heroicam, clipeo tot picturae, v. 626-729. locum habuerint, tantum quaelibet, vt humanis oculis diſcerni potuerint, et inter alia 2) quomodo per eandem picturam Cleopatra

Regina in mediis patrio vocat agmina ſiſtro.

nauibus Auguſto hoſtis obuiam vecta, et tamen

Illam inter caedes pallentem morte futura

Fecerat ignipotens ventis et Iapyge ferri?

Si dicas ipſam cum omni orientis exercitu fuiſſe bis pictam, non ſine ſubtili et artificioſa quadam intercapedine, 1) ſignum pugnae dantem 2) fugientem, augetur difficultas prima.

§. 460.

Non irritabo vaticinantes Achillis equos apud Homerum. Praeſtat ire in Statium. Huic Theb. II. 494. Thebarum

Quinquaginta altis funduntur in ordine portis
in ſolum et vnum Tydea hoſtes.

Macte animi, tantis dignus qui crederis armis,
et a tanto quidem poeta, ac Statius eſt, qui nunquam maiora vero cecinit! Tydea in inſidiis exſpectant, nec adoriuntur tamen, niſi a ſolo prouocati. Quum adſunt tandem vndique ab vno hoſte euocati, patiuntur eum vncis manibus in Sphyngis ſcopulum euadere ſine teli, vel vnius iactum, ſaluum et incolumem. Vno lapide iam quatuor hoſtes primos necat, et in his

fulmineus Dorylas, quem regibus ardens
Aequabat virtus,

licet cum 49. nocturnis praedonibus vnum legatum aggreſſus ſit. Reſtant vltra 40. In hos ex Sphyngis ſcopulo deſilit Tydeus *praeceps*, neque prius, quam clipeo galeaque ſe hoſtis armauit, illi

denſi glomerantur in vnum.

Nunc hic *enſem trahit*, et omnibus *inexpugnabilis obſtat*, vt *Briareus* diis omnibus,

quum toto nequicquam obſeſſus Olympo
Tot queritur ceſſare manus. §. 399.

§. 461.

Dum reſpiramus, iam multi mera letalia vulnera, vnus in ipſa lingua, acceperunt hoſtes, Tydeus autem eſt

ſaepe

saepe aspera passus
Vulnera, sed nullum vitae in secreta receptum est.

Iamque superest hostium vltimus vnus. Ne victor Tydeus Thebas inimicas adhuc ouans ingrediatur, opus est dissuadente per visionem Pallade. Vltimo vita et mandata ad Thebanos dantur, ipse ex omnibus 49. cadauerum armis tropheum erigere vires otiumque toties vulneratus habet, et resultante iugorum longorum Echo precibus illud Mineruae dedicare 25. versibus.

§. 462.

Si libertati generatim, aut speciatim certae personae, certi characteris, quem semel alicui tribuisti, non conuenire, non esse per eandem possibile, vel viribus eius viuis maius minusue, per moralem analogi rationis dynamometrian, de qua §. 457. percipi iudicarique potest, quod illi tamen adscribitur, nouam dabit illud falsitatis aestheticae vitandae speciem, §. 458, 433.

Ne forte seniles
Mandentur iuueni partes, pueroque viriles.

-- -- --

Vt nihil intersit Dauusne loquatur, et audax
Pythias emuncto lucrata Sinone talentum,
An custos famulusque dei Silenus alumni.

§. 463.

Sit aliquid per certam libertatem vere ἀδυνατον, sed haec moralis impotentia, partim soli intellectui et rationi pateat, et huius accuratiori dynamometriae, partim nec eidem, nunc saltim, et apud spectatores, quos tibi conciliare praesertim optas, adeo euidenter obuersatura praesumi potest, vt discutiat omnem analogo rationis apparentem possibilitatem moralem. Etiamsi moraliter eiusmodi impossibile tuis immisceatur cogitationibus ad elegantiae regulas componendis: non tamen est, quod ex aestheticis sententiis falsi reus agi metuas, §. 445.

§. 464.

Quanquam forum aestheticum falsitatis suam moralis reprehensionem et illiciti directo non vltra sensitiui horizontis terminos extendat: nec hinc immediate falsitatis accuset aestheticae cogitationes ad elegantiarum lydium lapidem exigendas, nisi quae contra licitum, pium, honestum, decorum illud impingunt, quod et analogo rationis tale patet; pone tamen aliquem moraliter malam actionem adeo callide texisse, vt analogo rationis primum indifferens, vel omnino bona visa sit; sed fuisse dignitatis in eodem pulcrae, abstinere ab eiusmodi fraudibus, qui, nisi insigniter bonus, vir tamen bonus haberi voluerit; pone fraudes ipsas non detegere ana-

logon

logon rationis, nisi huius auxilio, sed detectis fallaciis, etiam sensitiue manifestissimum esse, dedecere easdem talem personam, quam cogitaturus in se susceperat: eiusmodi subtile vitiorum venenum propinare, si non directo propter falsitatem cogitationum ipsam aestheticam, tamen propter turpem defectum dignitatis S. XV. in fucatis malorum lenociniis turpitudinis damnabit ipsum forum aestheticum. §. 435, 445.

§. 465.

Sunt tamen et aesthetice fugienda contra moralem strictius dictam pulcre cogitandorum possibilitatem pugnantia, §. 435. directo quae coniungit Claudianus de IIII. cons. Hon. 278.

Neu dubie suspectus agas, neu falsus amicis.

1) Ne per omnem tuam, venustam quam velis, meditationem ambiguus data opera videaris, inter virtutem et vitium, vt spectatoris analogon rationis satis pro suis viribus attendens determinare sibi satisfaciendo, saltim in fine, tamen non possit, quarum sis partium, an earum, quae bonos, qui censentur mores ordinario, tueri, an earum, quae malos ordinario habitos commendare nituntur. Sic enim dubie suspectus bonis, dubie placens malis, ne horum quidem calculum feres. Quibus ergo pulcer es?

§. 466.

2) Ne crassus, quem dicunt, simulator virtutis laruam ita prae te feras, vt vel analogo rationis transpareant animi sub vulpe latentes. Verbi gratia turpe est amicitiam singularem simulare, siue *falsum* adeo *renideant* aliqui, vt vel primo obtutu,

reperiantur falsi falsimoniis,
Qui se quum frustrantur, frustrari alios stolidi existiment,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide,

siue alii callidius agant rem suam, et tum demum, quando bonum alicuius analogon rationis, confidentius credulum, *inique induxerunt animam tradere, quasi tuta omnia forent,*

Tum retrahunt se, ac sua dicta omnia factaque
Ventos irrita ferre ac nebulas aereas sinunt.

§. 464.

§. 467.

Heic erit forte locus conuenientissimus semel expresse affirmandi, rogandique sic illud sibi dictum putet, si quis ad pulcre cogitanda velit his lectis accedere, ac si cuiuis adscriptum esset paginae, quae falsa nunc aesthetice licita directo dicemus, ea per indirectum, non esse licita, vel aesthetice, §. 464. multo minus ex grauioribus bonae mentis regulis, quam primum iisdem ad detrimentum venerandae virtutis et perdendas animas

mas abutaris. Huius regulae, praxeosue eidem tamen contrariae

Si tu oblitus es, at dii meminerunt, meminit Fides,
Quae te, vt poeniteat poſt modo facti, faciet, tui. Cat. 28.

§. 468.

Immiſceantur pulcre cogitatis, quae non habeant rationem et corollaria, quae, qualia, quanta philoſophus iure poſtulauerit, quibus tamen nexus vtrimque non deſit, qualem quantumue poſtulare ſolet analogon rationis eorum, quorum potiſſimum gratia ſcribis: irrationalitas eiusmodi inconnexorum non arguetur falſitatis aeſtheticae, §. 445. Deſideretur autem et ille nexus, ea cohaerentia, qualem et quantam deſiderat analogon rationis in iis, quae probat, damnaberis confeſtim falſitatis aeſtheticae §. 437.

Neu quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat et haereat apte.

§. 469.

Vnitatem materiarum ſuarum et abſolutam et hypotheticam, ſola metaphyſicorum ratione perſpiciendam parum curat aeſtheticus, admodum ſecurus eadem inſuper habita ſe non male exceptum iri, quaſi aeſthetice falſa cogitauerit, a iudice competente. Si laeſe-

rit autem eam vnitatem, ipſius etiam loci tantum vel temporis, quam fert ſimul in oculis analogon rationis, §. 439. non ſine pudore ad illum relegatur aeſtheticae falſitatis reus, §. 445.

Qui variare volens *rem prodigialiter vnam*
Delphinum ſiluis appingit, fluctibus aprum.

§. 470.

Falſitates generales omnes, quatenus ſenſibus et analogo rationis percipi poſſunt, ſunt etiam aeſtheticae, §. 440, 445. Quas autem eſſe tales ſola ratio et intellectus purior detexerit, aeſtheticae falſitatis notam non ferent, niſi vel iis propinentur, quorum conuicta de contrario penitus ratio diſcutiat repente ſpeciem veri, quae ſupereſt, omnem, vel comitante dignitatis probitatisque defectu deturpentur. §. 464, 467. Quo grauior et periculoſior eſt error in notionibus iisque, quae multis applicari temere poſſunt, hoc magis ſerio ſibi proſpiciat in generalibus etiam aeſtheticus, ne tacitas preces ſecum ante pulcram meditationem fudiſſe videatur:

Pulcra Lauerna,
Da mihi fallere, da iuſto ſanctoque videri,
Noctem peccatis et fraudibus obiice nubem.
Hor. ep. I. 16, 60.

§. 471.

§. 471.

Quid autem illud est ambiguitatis? Nunc falsa conceduntur, nunc denuo dissuadentur aesthetico? Dic sententiam explicite. Vti dixi hucusque non sine necessariis determinationibus, ita pergam. Strictissime veris opposita quomodocunque, vel etiam ea solum, quae videntur iisdem opposita, dicuntur LATISSIME FALSA, et simpliciter in populari sermone. Hinc quicquid in hoc vniuerso nec fuit, nec est, nec erit, falsum illud omne vulgo perhibetur, et, quam primum irascatur, falsissimum. Sit pulcrius cogitandum finitum, in se possibile, sit naturaliter, sit moraliter, latius, strictius, et rationis et analogi rationis ex exactissimo iudicio, neque tamen sit huius vniuersi possibile, erit illud latissime falsum et ex vulgari loquendi formula falsum simpliciter.

§. 472.

Tantum est bene studium veritatis, §. 423. pulcre cogitaturo, vt ne in strictissimam quidem veritatem impingere velit, sine pulcra necessitate, nec sine eadem vel latissime falsa meditari, §. 471. Hinc elegantes sibi praesertim dictum putant historici: *Ne quid falsi* (i. e. quod non sit strictissime verum). Tacitus strictissime veram sibi visam historiam de Drusi morte quum narrasset, addit rumorem de

de eadem ſuae narrationi contrarium, Ann. IV. 11. *Mihi*, pergens, *tradendi arguendique rumoris cauſſa fuit, vt claro exemplo falſas auditiones depellerem, peteremque ab iis, quorum in manus cura noſtra venerit, ne diuulgata et incredibilia, auide accepta, veris, neque in miraculum corruptis, ante habeant.*

§. 473.

Hanc ob cauſſam ſane non refertur a bonis elegantiarum arbitris inter Veneres cogitationum, eaedem ſi nequicquam et nulla obſeruabili ex neceſſitate contradicunt rigidae ac ſeuerae hiſtoriae, genealogiae, geographiae, chronologiae, reliquisque diſciplinis, quae verſantur in ſtrictiſſime veris. Quoties ipſe culpatus eſt Virgilius caſtam forſan Didonem cum duce Troiano in eandem ſpeluncam deducens, reclamante chronologia, ab iis, qui neceſſitatem falſi non obſeruare ſibi viſi ſunt? In declamatione Pythagorae apud Ouidium hi verſus:

Clara fuit Sparte, magnae viguere Mycenae
Nec non Cecropiae, nec non Amphionis arces.
Vile ſolum Sparta eſt, altae cecidere Mycenae.
Oedipodioniae quid ſunt, niſi nomina, Thebae?
Quid Pandioniae reſtant, niſi nomen, Athenae?

quoniam ſine neceſſitate venuſta pugnant in chronologiam, multis habiti ſunt in gloſſematibus.

§. 474.

Quicquid eſt anachroniſmorum et ἀνιςοϱησίας citra neceſſitatem in pulcre cogitandum illatorum, pertinet illud omne ad falſitates etiam aeſtheticas, quam primum analogo rationis vitium appareat. §. 473, 445. Huc *triremes* Virgilii, niſi ſubtiliter facetus data opera *Chimaeram* dicit, L. V. 118.

Vrbis opus, triplici pubes quam Dardana verſu
Impellunt, terno conſurgunt ordine remi.

Aeratas ſaltim eius *puppes* ideo non poſſumus in exſilium ex hoc vniuerſo relegare, quia roſtra ſunt inuenta, poſt heroica tempora. Plautum caſtiget, qui volet, quando eius non Soſias, ſed et Mercurius ipſe crebrum *hercule* iurant in Amphitryone, qui futurus erat demum Herculis *pater, quem iuſtae nuptiae declarant.*

§. 475.

Sed ſit aliquando pulcre cogitaturo quaedam neceſſitas, ſecundum quam ſalua pulcritudine totius non poſſit in hoc vniuerſo morari longius, exſpatiandum potius eius ingenio ſit per alios mundos poſſibiles, quam primum in eiusmodi itinere commoratur circa regiones mundi fabuloſi, §. 456. deſcriptas, eſt in eius cogitatis falſitas heterocosmica aeſthetica etiam, ſin vltra limites, §.

455.

455. descriptos non prosiliat, iure non accusatur falsitatis in heterocosmicis aestheticae, M. §. 445. Epaphus forte strictissime verum Phaetonti dixerat, Ou. Met. I. 752:

Matri omnia demens
Credis et es tumidus genitoris imagine falsi.

§. 476.

In mundo tamen metamorphoseon ouidianarum est, per preces Phaëtontis, l. II. 35.

O! lux immensi publica mundi,

strictissime verum, et simul heterocosmice, §. 441.

Phoebe, pater, si das huius mihi nominis usum,

heterocosmice verum, §. 441. licet ex mundo fabuloso somnium, tamen iis, quibus vixit, Ouidius locis et temporibus, quibusque praesertim scripsit personis, non falsum aesthetice §. 455.

Nec falsa Clymene culpam sub imagine celat,

hoc in dicto Ouidii mundo falsum fuisset, supposita Phaëtontis fabula, etiam aestheticum.

Pignora da, genitor, per quae tua vera propago
Credar, et hunc animis errorem detrahe nostris.

Verum habes heterocosmicum, quod nec aesthetice tunc falsum erat et iis, quum et quibus Ouidius potissimum scribebat.

§. 477.

§. 477.

Iamque reor aliqua ex parte manifestum esse pulcre cogitaturum veritatis amicum esse quidem semper, S. XXVI. neque tamen vel illius abstractissimae de vniuersalibus, §. 440. vel illius strictissimae seruum esse, §. 441.

Exit in immensum foecunda licentia vatum,
Obligat historica nec sua verba fide. Ou. Am. III. 12.

vbi multa exempla congeruntur confirmatura sententiam huc facientem:

Non, vt testes, mos est audire poetas.

Vt enim tandem omnibus videar perspicue scribere, §. 471. venustius ingenium,

Quando ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum,

illius Musa memor §. 467, censoribus aesthe-ticis est

Splendide mendax, et in omne virgo
Nobilis aeuum.



V SECTIO



SECTIO XXVIIII.

VERISIMILITVDO AESTHETICA.

§. 478.

Quousque tandem abutere patientia nostra? quamdiu nos etiam furor iste tuus eludat? Quem ad finem sese effraenata iactabit audacia? Tune vero magister veritatis logicae ac ethicae publice constitutus mendacia commendes, velut aliquando splendida, et falsa veris miscere, tanquam operam maximopere nobilem? Hac ego circiter ratione videor audire mihi quosdam obloquentes ex schola, quam pinxi, §. 279. Sed sedatis animis, boni viri, reuertamur ad nostrum, quod vos nonnunquam male habet, phlegma philosophicum. De salute Graeciae res non agitur. Interim tamen

Longa est iniuria, longae
Ambages, sed summa sequar fastigia rerum.

§. 479.

Adeone facile putatis, ac Claudiani panegyris Honorio, rationis etiam analogo,

Mersum latebris educere verum? v. 513.

Vt et ego vobiscum magnis auctoritatibus agam, nonne meministis veritatem esse Democrito

mocrito ſitam in fundo, vnde difficulter protrahatur? Audietis certe Ciceronem, qui, dum plura dicit, ac ego probauerim, illud tamen illuſtrabit, de quo nunc quaeritur in fine l. de Or: *Nec in hac modo re* (de oratore, hinc et aeſthetico) *quae ad vulgi aſſenſum ſpectat, et ad aurium voluptatem* (et analogi rationis, qua res) *quae duo ſunt ad iudicandum leuiſſima: ſed ne in maximis quidem rebus quicquam inueni firmius, quod tenerem, aut quo iudicium meum dirigerem, quam id, quodcunque mihi quam ſimillimum veri videretur, quum illud ipſum verum in occulto lateret.*

§. 480.

Non ſolum aduerſus Ciceronem, §. 479. et ſcepticos academicosque, vel veteres, vel recentes, lubenter admitto dari rationi et intellectui puriori ac diſtinctiori per ſcientias aſſurgere nonnunquam vltra veriſimilitudinem, non ad plenam quidem et omnibus numeris abſolutiſſimam, completam tamen et eam, quae omnem oppoſiti formidinem excludat, veri notitiam et perſpicientiam: ſed id etiam addo, quod pauci recentiorum dogmaticorum forte concedant, ineſſe iam ipſis ſenſitiuis et confuſis animae perceptionibus nonnihil completae tamen certitudinis, et conſcientiae vera quaedam ab omnibus falſis diſtinguendi ſufficientiam.

§. 481.

Veritas quaedam, etiam aeſthetica, §. 423. tamen complete cognoſcatur ab analogo rationis, vt talis, §. 480. id eſt completa cum certitudine et perſuaſione, M. §. 531. Sed quaenam haec erit? 1) prima et maxime vniuerſalia quaedam cognitionis humanae principia, quae ſic inſeuit iam ingeniis tantum non omnibus natura, metaphyſicis naturalibus, M. §. 3. vt ea ſenſus communis aliquando titulo condecorata ſatis ſuperque ſint euidentia, M. §. 531. Sed ob hanc ipſam ſuam euidentiam, quae per ſe patere cuilibet videntur, eadem vberius, non ſine ponderibus, in omni veritatis ſuae luce, multis cum argumentis et ſolicitationibus ad aſſenſum ea cogitare expreſſe et manifeſto, vel raro licet, vel nunquam. Plerumque ſupponuntur, quod aiunt, et omiſſa per venuſtum enthymema relinquuntur ſpectatori inter ea, quae ipſe ſibi tradat.

§. 482.

2) Pauciſſima illa intuitiua vere talia, quae immediate ſentimus nullis ſubreptionum vitiis temerata. Stricte dictam experientiam huc vnam voco, non illam late dictam, complexum omnis cognitionis, cui aliquid ineſt ſenſationum, quamque parum habere certitudinis vel ii probant, qui ſibi vere repugnantes ad eandem tamen vterque confi-

confidenter prouocant. Experientia ſtricte dicta multis reliquarum animae facultatum inferiorum perceptionibus praeter ſenſationes aliis eſt interſtinguenda, ſi pulcrius aliquid excogitare ſit animus, §. 140. Haec ipſa, quae conceſſi eſſe poſſe complete certa rationis etiam analogo, non ſunt illa ſemper et omnibus, ſed fides eorum ſaepe prorſus non attenditur, aliquando ſophismatibus et argutationibus, licet inanibus, labefactatur tamen et paene conuellitur, niſi rationis et intellectus notionibus confirmetur.

§. 483.

Jam apertiſſimo putauerim calculo conſtare plurima inter venuſte cogitandum appercipienda, non eſſe complete certa, neque luce completa veritatem eorum conſpici, §. 481, 482. Nec in vllo tamen falſitatis aliquid ſenſitiuae deprehendi poteſt ſine turpitudine, S. XXVIII. Talia autem, de quibus non complete quidem certi ſumus, neque tamen falſitatem aliquam in iisdem appercipimus, ſunt VERISIMILIA. Eſt ergo veritas aeſthetica S. XXVII. a potiori dicta VERISIMILITVDO, ille veritatis gradus, qui, etiamſi non euectus ſit ad completam certitudinem, tamen nihil contineat falſitatis obſeruabilis.

§. 484.

Cuius habent spectatores *auditoresue intra animum*, quum vident audiuntue, *quasdam anticipationes, quod plerumque fit, quod fieri solet, quod in opinione positum est, quod habet ad haec in se quandam similitudinem, siue id falsum* (logice, et latissime,) *siue verum sit.* (logice et strictissime) *quod non sit facile a nostris sensibus abhorrens:* hoc illud est εικος et verisimile, quod, Aristotele et Cicerone assentiente, sectetur aestheticus, §. 483. In rebus enim eiusmodi non solet analogon rationis quicquam falsitatis obseruare, licet non omnino de veritate eorundem conuictum sit. Hinc Ciceroni describitur *inuentio excogitatio rerum verarum aut verisimilium, quae caussam probabilem* (aesthetice) *reddant.*

§. 485.

Erunt itaque aesthetice vera, id est, verisimilia, §. 484. 1) sensitiue et intellectualiter complete certa, qua sunt prius, §. 480-482. 2) sensitiue tantum complete certa, §. 482. in quibus adhuc intellectus suam non exercuit operam, 3) logice et aesthetice probabilia, qua sunt posterius. PROBABILIA quoniam sunt, quibus ad dandum assensum plus rationis est, quam ad denegandum; et IMPROBABILIA, quibus ad denegandum assensum plus rationis est, quam ad dandum:

dum: quando rationes dubitandi et decidendi, pro assensu et contra eundem distincte cognoscuntur, oritur **PROBABILITAS LOGICA**, si sensitiue, **AESTHETICA**. A potiori desumitur denominatio, quoties est quaedam probabilitas aestheticologica. Par est ratio improbabilitatis. Patent ergo verisimilitudinum campi latius, quam probabilitatis territorium, etiamsi sit omne probabile simul verisimile. §. 483.

§. 486.

Verisimilia aesthetica erunt 4) logice forte dubia, immo improbabilia, modo sint aesthetice probabilia §. 485. 5) aesthetice etiam dubia et improbabilia, non aliis solum, quam quibus potissimum venuste cogites, sed etiam his ipsis forsan alias, quando rationes contra assensum largius imbiberint, modo nunc et inter meditationis tuae seriem vel habeant, de iis, quae propinas, aut probabilitatem aestheticam, aut saltim in oppositum superponderantes rationes non habeant animo satis praesentes, vt obscurent id omne, quod tuis superest elegantis verisimilitudinis. §. 484.

§. 487.

Conferamus consilium Ciceronis accusatoribus datum or. pro Rosc. Am. 57. *Maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur*

(quorum crimen est complete certum, logice et strictissime verum, aut etiam logice probabile et aesthetice). *Hoc populo gratissimum est. Deinde, si voletis, etiam tum, quum verisimile erit aliquem commisisse,* in *suspicione latratote.* (Etiamsi non complete certum nec logice probabile sit crimen, nec omnibus aesthetice, neque tamen iis improbabile aesthetice, quibus grati esse praesertim vultis). *Id quoque concedi potest. Sin autem sic agatis, vt aliquem arguatis patrem occidisse, neque dicere possitis, aut quare, aut quomodo, ac tantummodo sine suspicione* (verisimilitudine qualicunque aesthetica) *latrabitis: crura quidem nemo vobis suffringet, sed si ego hos bene noui, litteram illam, cui vos vsque eo inimici estis, vt etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.*

§. 488.

Aliud exemplum dabit Cicero philosophus de nat. Deorum l. I. 65: *Haec,* inquiens, *ego nunc physicorum oracula (nullum esse inane) fundo, vera, an falsa nescio.* (Complete certa logice, neque tamen analogo rationis, §. 482.) 66. *Sed veri tamen similiora, quam vestra. Ista enim flagitia Democriti, siue etiam ante Leucippi, esse quaedam corpuscula, quaedam laeuia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curuata quaedam, et quasi adunca,*

ca, ex his effectum esse caelum atque terras, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito. (Haec flagitia illustrabunt §. 486.)

§. 489.

Iam simul per rationem oppositorum oppositam reor patere falsum aestheticum, S. XXVIII. a potiori denominandum esse falsi simile, §. 483. de cuius falsitate quidem non complete certi simus, ex quo tamen nihil omnino veritatis insigniter elucescat. Sit aliquid complete certum intellectui, sit eidem probabile aliud: vtraque tamen aesthetice sint dubia, vel improbabilia, vel omnino nihil argumentorum pro veritate sui suggerant analogo rationis eorum, quibus praecipue placere velis, licet nec eidem eorum liqueat falsitas, tamen aesthetica verisimilitudine destituta, destituta anticipationibus intra mentem obiectorum tuorum personalium, quoniam insolita videntur his saltim, §. 484. abstrahendum est ab iisdem, falsi similibus. §. 485, 486.

§. 490.

Nocturnos lemures, portentaque Thessala rident

aliqui. An sciant, quare, an nesciant, non curabit aestheticus. Sufficiet ipsi spectatoribus eiusmodi, quicquid est vtique spectrorum artiumque, quas male magicas dicunt, adeo ridiculum videri per analogon rationis, vt in

visionibus eiusmodi nihil apud eosdem restet elegantis verisimilitudinis, hinc ob hoc solum remouebit ex oculis talia omnia falsi similia iis, quorum maxime caussa scribit. Si tales fuissent Virgilio, astrologiam iudiciariam, vti nunc plures, susque deque habentes, non ille, profecto, scripsisset.

Solem quis dicere falsum
Audeat? Ille etiam caecos instare tumultus
Saepe monet, fraudemque et operta tumescere bella.

Georg. l. l. 463. veritus, ne quis eorum regereret, non solem falsum dicimus, sed te falsum ex eiusdem colore veraculum. §. 489.

§. 491.

Aliquam necessitatem aestheticam iam aliquando subinnuimus non ea solum exhibendi, quae completa certitudine vera sint et strictissime. Nunc locus est quasdam harum necessitatum commemorare. 1) Sit cogitandum aesthetico, qui pansophus esse non obligatur, multo minus omniscius, de rebus, quarum veritatem metaphysicam complete non nouit, §. 423. 2) Obueniant ipsi cogitanda, quorum veritatem strictius logicam demonstrare rigide nequeat. §. 424. 3) Occurrant, de quibus ne aesthetice quidem sit complete certus, §. 427. 4) Incidat in cogitanda talia, quorum exacta veritas horizon-

rizontem diſtinctionis non egrediatur, quo melius ipſi cognita eſt, hoc certior, eam non eſſe captui eorum commodam, quibus potiſſimum cogitat. §. 429: in his caſibus omnibus confugiendum erit ad aliquam veriſimilitudinem. §. 479.

§. 492.

In caſu primo erant romani paene omnes, ſi ad illos dirigebatur quaeſtio:

Paruum eſt, quod ſcire laboro.
De Joue quid ſentis?

In ſecundo putauerim Iopam fuiſſe canentem; Aen. I. 748.

Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obſtet.

In tertio fuit illa Virgilii, quae ecl. VIII. 106.

Adſpice, ait, *corripuit tremulis altaria flammis*
Sponte ſua, dum ferre moror, cinis ipſe, bonum ſit,
Neſcio quid, certe eſt, et Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?

In caſu quarto erit philoſophus accuratior ſaepius ea themata moralia tractans aeſthetice, quae ex Horatio adduxi §. 126.

§. 493.

§. 493.

Neceſſitas a veritate complete certa et ſtrictiſſima recedendi erit aeſthetica pulcre cogitaturo, 5) quando tanti non eſt, vt examinetur, quod ponendum eſt, an accurate verum, an tantum ſit veriſimile §. 430. 454. 6) Quando venit in mentem rei, quae num in ſe ſit poſſibilis, nec ne, parum liqueat, §. 431. illud tamen liqueat, pulcre rem eam meditanti rationis analogo nihil abſurditatis afferri, §. 431, 455. 7) Cogitando incidas in euentum, de quo dynamometria tua non exacte decidat, an viribus cauſſarum viuis plenus accurate ſit aequalis, neque tamen dynamometriae naturali videatur cognitis ſenſitiue viribus vlla ratione, vel turpiter minor, vel maior, §. 432. 457.

§. 494.

In caſu quinto Virgilius Aen. I. 706. canit:

Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere et flammis adolere penates.
Centum aliae, totidemque pares aetate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent, et pocula ponant.

nume-

numeris rotundis contentus errore calculi saluo. In casu sexto fuit Aeneas, quando:

O! quam, ait, *te memorem, virgo? namque haud tibi vultus*
Mortales, nec vox huminem sonat. O! dea certe,
Aut Phoebi soror, aut nympharum sanguinis vna!

In casu septimo Virgilium lege, quando ipsi Nisus et Euryalus l. IX. 176-450. describuntur, vt huius verisimilitudo, iuxta Statii falsitatem posita, §. 460, 461. magis elucescat.

§. 495.

Necessitas aesthetica a veritate, complete certa, et strictissima, saepius deueniendi ad verisimilitudinem erit, 8) quando morato latius cogitandi genere §. 226. iam nouam ηθους speciem, §. 193. obseruaturus, §. 433. incidat in pingendum euentum cum moralibus personarum semel constitutarum characteribus, moribus maiorum, et consuetudinibus, aetate, patria e. c. apprime conspirare visum, §. 434. nec vlla ratione male qui habeat moralem analogi rationis dynamometrian, §. 462. cuius tamen euentus non complete certa sit strictissima veritas. In hoc casu Virgilius fuit Aenean armis induens pro patria Troia. l. II. §. 309.

§. 496.

§. 496.

Necessitas verisimilitudinis pro exacte cognita veritate amplectendae aesthetica erit 9) quando, quid in certis virum bonum circumstantibus recte agendi occasionibus, ille, vel simpliciter honestus, vel nobilis, vel omnino heros vere egerit, tacet historia, tacet experientia, sed ηθος docet et moratum strictius cogitandi genus, quid agere debuerit, tunc enim ad hanc veritatem moralem, licet veri tantum similem, §. 435. caute confugiendum est, §. 463 - 467. In hoc casu Virgilius erat descripturus, quid Aeneas in Pallantis funere dixerit egeritue, l. XI. 25.-- 100. et omnes paene veteres historici, quando suis inserunt habitas orationes.

§. 497.

10.) Quando verae strictissime et completa cum certitudine rationes pulcre cogitandi, et vera eiusmodi confectaria, vel ignorantur, vel supra horizontem aestheticum posita sunt, vel ob alias caussas e. g. dignitatem et decorum, afferri non possunt, neque tamen hiatus turpis, aut aliquid omnino frustra factum sensibus analogoque rationis obiicienda sunt. §. 436. 468. In hoc casu Virgilius fuit, videns exercendae fortitudinis heroi suo se multas et magnas rationes suppeditare debere, multos et magnos hostes, L. VII. 641.

Pan-

Pandite nunc Helicona, deae, cantusque mouete,
Qui bello exciti reges, quae quemque sequutae
Complerint campos acies, quibus Itala iam tum,
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis,
Et meministis enim, Diuae, et memorare potestis,
Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.

§. 498.

11) Quando, quaedam ob ipsam forsan veritatem strictissimam, vel ob famam saltim, et quoniam eorum iam est nonnulla in spectatorum animis anticipatio, pulcre cogitanda sunt, quae tamen in vnitatem aestheticam grauius offendere videri possent, §. 439. 469. Tunc enim multa opus est verisimilitudine, ne iunxisse turpiter censearis insociabilia. Accedens ad implementum paradoxi, et inexspectati oraculi:

via prima salutis,
Quod minime reris, Graia pandetur ab vrbe,
VI. 96.

describendum Virgilius, ne male coacta sub vnum ducem arma graeca et troiana, vel analogo rationis, iudicentur, quanta opera mitescere

mitescere curat inopinatum euentum. l. VIII. Deus interest, quoniam nodus eo vindice dignus adest, Tiberinus pater, qui consilium det Arcades adeundi,

Qui bellum assidue ducunt cum gente latina. 55.

Aeneas ipse proficiscitur, non oratores mittit, nec se modo *Troiugenas* memorat, sed et statim

tela inimica latinis, 117. e. c.

§. 499.

12) Quando de generalibus et per abstractam notionum regionem, veritas logica, vel ita latet in fundo, vt ne per intellectum quidem et rationem pulcre cogitaturi, inde erui possit, aut altius longiusque petita saltim tuis praecipuis obiectis personalibus videbitur, nisi omnino falsa, quoniam ea non continet, quae fieri solent, et quorum habent intra mentem anticipationes; altera autem opinio de iisdem generalibus, quae cum priori sententia simul esse vera non potest, innocuis tamen rationibus, et absque dolo malo, sine fraude nefanda, commendari potest, §. 470. popularior et veri maioris aliquid spirans, §. 440. e. g. Quanquam logice verum est aliquam salutem publicam non sine bello et per arma vere parari: tamen

Nulla salus bello.

Quan-

Quanquam ſunt, qui omnia horrent, praeter ignauum otium, et omnia, quae ſupra ſe deprehendunt, nihil ad ſe pertinere iudicant, ex animi ſententia, tamen

Nil mortalibus arduum eſt,
Caelum ipſum petimus ſtultitia.

§. 500.

13) Ipſum veritatis ſtudium, quod eſſe poteſt, maximum mentiri nonnunquam, i. e. latiſſime falſa, aut ea cogitare cogit, quae num logice ſtrictiſſimeque ſint omnino vera, ipſe neſcit, aeſtheticum. Pone eum exacte cognitum verum cogitare poſſe admodum abſtractum, generale, et vniuerſale, = circiter 20°. Pone ipſi venire in mentem determinatioris, minus generalis, minus abſtracti; quod ſalua reliqua pulcritudine poſſet priori ſubſtituere. Sint in hoc 40 varia. De decem ex iis aut dubitet, an omni modo vera ſint, aut omnino videat ea non eſſe purioris ad rationis examen defendenda, licet non dent falſitatem aeſtheticam, S. XXVIII. Reliqua 30 probe conſpirent ad principia veri catholica, praeſertim quatenus analogo rationis patent, et ſimul maiorem, ac prius, vbertatem, dignitatem, lucem e. c. dent themati, ac prius logice verum et complete certum, = 10°. In hoc caſu prius eligens dabis verum = 20°. Poſterius praeferens exhibes ve-

rum ad minimum = 40° — 10° = 30°. Hinc ipſum veritatis ſtudium ad poſterius falſum priori vero praeponendum impellere poteſt, §. 441.

§. 501.

Eſt veritas generalis: Vir bonus iniquis etiam ſuſpicionibus eorum, quos amat, aliquando cedit. Nonne autem illa maior apparet analogo rationis apud legentes Liu. II. 6. *in Valerium Conſulem, non inuidiam ſolum, ſed ſuſpicionem etiam, cum atroci crimine, ortam, eum regnum affectare, quia aedificabat in ſumma Velia? Ibi alto et munito loco arcem inexpugnabilem fore. Conuocato* autem *in concilium populo* tunc Valerium in aliis dixiſſe: *Non obſtabunt P. Valerii aedes libertati veſtrae, Quirites. Tuta vobis erit Velia. Deferam non in planum modo aedes, ſed colli etiam ſubiiciam, vt vos ſupra ſuſpectum me ciuem habitetis. In Velia aedificent, quibus melius, quam Valerio, libertas creditur. Delatam* poſtea *confeſtim* eſſe *materiam omnem infra Veliam, et in infimo cliuo domum aedificatam.* Hinc opiniones ita *in contrarium verſas* eſſe, vt *popularis* abhinc ſit habitus, *vnde cognomen Publicolae.* Si maior haec Liuiana veritas recte iudicatur aliquo reſpectu, ac generalis illa; meminerimus orationem ementitum eſſe Liuium, § 496.

§. 502.

§. 502.

14) Sit ſtrictiſſime verum aliquando, quod non ita raro contingit, hac ratione comparatum, vt non ex opinione vulgi tantum, ſed etiam bonis factorum criticis falſi ſingulariter ſimile videatur, neque tamen vires locusue ſint venuſte cogitaturo multis eius vindicare veriſimilitudinem, aut deſtituatur, quantum illud cognoſcitur, requiſita pulcritudini cogitatorum, vbertate, dignitate, luce, e. c. §. 22, ſolum ſi ſit, et nullis exornatum latiſſime falſis. Habes in vnum contractos multos caſus, in quibus veris heterocosmicis, quae ſtrictiſſime vero vel ſubſtituantur, vel immiſceantur, opus eſſe videatur. §. 444, 475.

§. 503.

Quoniam itaque tot neceſſitatibus vrgetur pulcre cogitaturus a veritate, quam dicunt, tranſeundi ad ſolam aliquam veriſimilitudinem, §. 491-502: non raro *poeta fiet.*

Poeta, tabulas quum cepit ſibi,
Quaerit, quod nusquam eſt gentium, reperit tamen,
Facit illud veri ſimile, quod mendacium eſt.
Plaut. Pſeud. l. 4. v. 8.

Aeſtheticus autem veritatem metaphyſicam et aeſtheticologicam diſtinguens, vt obiectum et perceptionem eiusdem, vti

 rem,

rem, et conceptum de re; hanc aestheticologicam notat esse vel complete claram, vel minus. Priorem veritatem dicunt, posteriorem verisimilitudinem. Philosophus priorem completam certitudinem dicit; alteram veritatem in incertis, probabilibus, dubiis, improbabilibus. Hinc aestheticus suadet non in solis complete certis pulcre verum quaerere, sed idem rimari simul per incerta, probabilium, dubiorum, improbabilium, quamdiu semet ipsum non subducit amatoris oculis in turpem falsi similitudinem, vel ipsam falsi turpitudinem desinens. S. XXVIII.

§. 504.

Pulcre cogitaturus consilium, §. 503. prosequitur, circumstrepentibus falsi rumoribus, vnam veritatem, plerumque per incerta, sectatus,

populumque falsis
Dedocet vti

vocibus falsi mendaciorumque, aut in verbis facilis de rerum et vitae veritate sibi gratulatur in sinu, quando nonnunquam per mediam, quam Falsitatis et Mendaciorum aiunt, siluam in plena sese refulgens offert luce

Pudor, et Iustitiae soror
Incorrupta Fides, nudaque Veritas.

SECTIO



SECTIO XXX.

FICTIONES.

§. 505.

Quae non totidem ideis sensimus, quot denuo cogitamus, quaeque tamen sensitiue cognoscenda sunt, sunt fingenda, M. §. 589. Hinc FICTIONES LATIVS DICTAE, M. §. 590. perceptiones combinando praescindendoque phantasmata formatae, longe maximam pulcre cogitandorum partem constituunt.

Ficta voluptatis caussa sint proxima veris, §. 504.

§. 506.

Non proxima solum veris, sed et ipsa strictissime vera plurima, non nisi fictionibus latius dictis pulcre cogitari sensitiueque possunt. Quot ea sunt obiectorum pulcre cogitaturi, de quibus ille possit dicere: *quae ipse vidi,*

Et quorum pars magna fui?

Nec in his fictionibus carent, nisi experientiae stricte dictae, si narrentur omnino pure nudeque. Reliqua huius vniuersi vel praeterita, si narrem secundum fidem historicam, neque tamen stricte expertus, vel praesentia

 tem-

tempore, si percipiam absentia loco sensitiue, vel futura, etiamsi tandem ex mea praeconceptione fiant in hoc vniuerso, vt turris ex anticipatione architecti, tamen sunt FICTIONES (latius dictae, §. 505.) quas dicere liceat STRICTISSIME VERAS.

§. 507.

Erunt itaque fictiones, sicuti veritates, falsitates et verisimilitudines, vel generales, vel singulares, et hae vel huius vniuersi cognitionem ingredientur, vel erunt heterocosmicae, §. 445, 441. Generales habent suas regulas S. XXVIIII. Singulares, pars cognitionis de hoc vniuerso venustae, aut erunt strictissime verae, §. 506, res facti, vel euentus praesentes, vel vere futura sistentes, quae tamen ipse cogitans non stricte expertus est, aut minus. Quae cognitione huius vniuersi percipiuntur, neque tamen accurate intuitiua, hinc fictiones latius dictae, §. 505. sunt FICTIONES HISTORICAE LATE DICTAE.

§. 508.

Troianas romanorum origines narrant Virgilius et Liuius l. I. vterque non expertus, hinc vterque per fictionem historicam late dictam, §. 507. Ille Aenean narrat insciis Graiis et hostibus per fugam elapsum, hic in *Aenean*, et ob *vetustum hospitii* ; *ius*, et

quia

quia *pacis reddendaeque Helenae semper auctor fuerat*, nullum *ius belli Achiuos* exercuisse. Ille Aenean primo ducit in Thraciam, hic in Macedoniam. Aduentum Aeneae in Italiam proxime sequuta vterque diuersim mente concipiunt. Illi Ascanius, ac Iulus idem Creusae filius. Huic *Ascanius ex Lauinia natus*, addenti tamen; *Haud nihil ambigam (quis enim rem tam veterem pro certo affirmet?) Hiccine fuerit Ascanius, an maior, quam hic, Creusa natus matre, Ilio incolumi, comesque inde paternae fugae, quem Iulum eundem Iulia gens auctorem nominis sui nuncupat. Vbicunque et quacunque matre genitus, certe natum Aenea constat.* Vbicunque et quocunque patre genita sit fictio strictissime vera, §. 506. amborum hae, praeter alias, sunt fictiones historicae late dictae, §. 507. Ascanius in Aeneide est persona verisimilis, S. XXVIIII.

§. 509.

Fictiones historicae late dictae omnem cognitionem huius vniuersi apud pulcre cogitantem complexae, quam ipse non expertus est, aut sistunt saltim inexperto strictissime veros euentus huius vniuersi fictiones strictissime verae, §. 506, aut talia, quae suppositis omnibus in hoc vniuerso nobis sensitiue notis euentibus et momentis euentum circumstantibus, tamen fieri potuissent aut possent, et erunt FICTIONES, etiamsi a

poëtis cogitentur, STRICTIVS HISTORICAE.

§. 510.

Turnus Virgilii Aeneae tantum, *Turnus* Liuii *Aeneae Latinoque ſimul bellum infert*, et hic eo euentu, vt *Aborigines Troianique ducem Latinum victores amittant.* Mezentius Virgilii ab Aenea occiditur. Mezentius Liuii ab Aenea vincitur quidem, ſed *operum mortalium* hoc *vltimo* patrato Aeneas ſepelitur, Mezentio ſuperſtite. Vnum horum auctorem ſolum legenti tantum abeſt, vt fictionum vel ſtrictius hiſtoricarum ipſius narrationes ſuſpectae eſſe poſſent, vt eas potius in fictionibus ſtrictiſſime veris haberet, §. 506. Conferenti tamen vtrumque non licet per auctoritatem Liuii Virgilianas fabulas numerare in fictionibus ſtrictius hiſtoricis, §. 509.

* *

SECTIO XXXI.

FICTIONES POETICAE.

§. 511.

Si fingantur talia, quae ob notam et cogitanti et cogitaturis ipſo duce, ſicuti praeſumi debet, circumſtantiam, et hypotheſin euentumque huius mundi certum, in eodem hoc vniverſo locum non habeant, vt eiusdem poſ-

possibilia, supposita tamen alia quadam hypothesi, quae non est possibile huius vniuersi, fieri pulcre potuissent aut possent, vel turpiter, per cognitionem mediam: tales FICTIONES heterocosmicae, §. 441, quia inuentor earum, quasi nouum creat orbem fingendo, si vel maxime ab historico proferantur, dicuntur POETICAE.

§. 512.

Ira Iunonis Aen. l. 19-85. est fictio poetica, tempestas -- 127. historica. Neptunus aequorum pacator poetica -- 160. Troianorum descensus in Africam historica -- 227, nisi cerui dubium moueant. Colloquium Iouis et Veneris, legatioque Mercurii est fictio poetica, v. 308.

At pius Aeneas per noctem plurima voluens,
Vt primum lux alma data est, exire, locosque
Explorare nouos, quas vento accesserit oras,
Qui teneant, (nam inculta videt) hominesne feraene,
Quaerere constituit, sociisque exacta referre -- 317.

est fictio historica. Hinc incipit poetica de Didone fictio vltra l. I-V. protensa, §. 509, 511.

§. 513.

Complexum et satis male cohaerens systema fictionum omnis generis iam a pluribus elegantioribus ingeniis adoptatarum et suppositarum synecdochice dicamus MVNDVM POETARVM. Hic enim cosmogoniae philosophorum pleraeque, ne excepta quidem Cartesiana, non minus locum inueniunt, ac theogoniae veterum theologorum, et quicquid est mythologiae, non notioris illius solum, graecae ac romanae, sed et per alias gentes ab Indis ad Eddam πατροπαραδοτα. Huc acta sanctorum ex omni sua parte, quae vel historice, vel poetice ficta sit, ipsa signa illorum, ductus, positusque, quibus pingi sculpique solent. Huius terra quaedam noua est mundus cabbalisticus cum suis quatuor elementorum incolis, olim admodum in obscuro qui habitauerant. e. c.

§. 514.

In mundo poetarum est quaedam admodum late patens regio chimaerarum, fictionum omni veritate metaphysica, quae suis obiectis inesset, destitutarum, quam mundi poetarum dicamus VTOPIAM. Magna pars mundi fabulosi postquam est ingressa mundum poetarum, illum non tanget vltra limites, §. 456. pulcre cogitaturus. Contra hanc regulam impingunt, 1) qui nunc aeque sibi lici-

licitum putant ex mythologia veterum multa nugari, ac illud licitum olim graecis romanisque fuit, quorum ſpectatores praecipui per analogon rationis eiusdem abſurda non eo vsque penetrauerant, ac nunc omnes, qui vix aere lauantur.

§. 515.

2) Qui omnino nugas eiusmodi ſyſtemati optimo maximo veriſſimae religionis immiscent, aut iis auditoribus occinunt, quibus ſerpentes non auibus, ſed angelis, aut certe columbis, geminare videantur, ſi vel ex ſolo ſuo ſenſitiuo iudicio ac ſapore, non publico quidem, probe tamen maturo, pesſime cohaerentem eiusmodi lucis et tenebrarum coagmentationem examinent, §. 415. Ipſe Virgilius aduocans in auxilium, quicquid eſt vbique numinum ruſticorum Georg. I.

Diique deaeque omnes, ſtudium quibus arua tueri,
Quique nouas alitis nonnullo ſemine fruges,
v. 21.

probe cauet, ne quem deorum ſuis immisceat, quos venerantur tantum *ſanctae gentes,*
quibus haec naſcuntur in hortis
Numina. Iuu. XV.

§. 516.

§. 516.

Quaedam fictio poetica, §. 511. mundi poetici, §. 513, non tangens turpiter vtopiam, §. 514, 515. cuidam ex eodem parti conformiter, etiam positiue, i. e. ita concipiet suum orbem, quem creat heterocosmice fingendo, vt hic bene cohaereat, quantum aesthetice suos praecipuos auditores rem scrutaturos debet praesumere, probe cognitae parti mundi poetarum, ex eius anticipationibus mente formari possit, ita euentus suos sistat, vti solitum est, in regione mundi poetici data, habeat cum eadem vnitatem aestheticam, et ex eadem suam mutuo verisimilitudinem accipiat. Eiusmodi FIGMENTVM POETICVM dicamus ANALOGICVM.

§. 517.

Harum fictionum praeceptum est Horatii, secundum S. XXVIIII.

Scriptor, honoratum si forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis,
Sit Medea ferox inuictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
A. P. 120.

Non leuiter moueor hic pro: *honoratum Home-*

mereum cum Bentleio legere, licet rationem videam, cur honoratus Achilles dictus sit, cui summus et Alexandro etiam Magno inuidendus honor contigerit, ab optimo poëtarum aeternitati consecrari. In his paene solis fictionibus poeticis acquieuit Virgilius.

§. 518.

FICTIO POETICA nouum ita creans orbem, vt eum nec cuidam ex mundo poetico regioni faciat admodum similem, aut conducentem et aptius haerentem, est PRORSVS IGNOTA. Huic quoniam non succurrit iam supponenda in spectatoribus verisimilitudo mundi poetici, §. 512. quoniam desunt anticipationes in iisdem bene multae, quas iam reperisset analogica fictio, §. 516. quoniam per ipsum mundum poeticum insolita est, nec in hoc vniuerso fieri potuit, §. 511. adeoqne multis omnino falsi similis videbitur, §. 489. insignem habeat, oportet, verisimilitudinem internam, singularem venustius coniunctorum ordinem, successiuorum harmoniam et conuenientiam oculos multa cum luce ferientem, notabiliorem vnitatem, et generatim venustatem omnino singularem, si recto nihilominus talo stare debeat, satisque punctorum ferre, S. XXVII. §. 22.

§. 519.

§. 519.

Hinc Horatius ex poemate tantae famae, ac Ilias est, rectius putat particulam aliquam diducere, A. P. 130.

Quam si proferres ignota indictaque primus.

Hinc denominationem sumsi fictionum, de quibus §. 518. Quales si quis tamen audeat, illum monet:

Si quid inexpertum scenae committis, et audes,
Personam formare nouam, seruetur ad imum,
Qualis ab incepto processerit et sibi constet.
Difficile est proprie communia dicere;

quod mihi sic videor recte interpretari: Veritates generales, quas nemo sibi videtur ignorare, primum in exemplo aliquo singulari sistere satis pulcras, quod nemo adhuc ante nos ex parte venustius pinxerit, prorsus adhuc ignotum: illud vero maioris est difficultatis, ac multis videatur.

§. 520.

Fictio poetica, quae prae se quidem fert analogiam, nescio quam, cum mundo poëtico, neque tamen multo post contra eandem, quam suam fecerat, mundi illius regionem grauiter impingit, eidem contradicentia affirmans, contra eius ηθος pugnantia, quae fierent in eodem per casum purum, quae frustra fierent,

fierent, quae feiungunt per eundem infeparabilia, fpectatoribus obiiciens, erit talis fictio FIGMENTVM ANOMALON.

§. 521.

Figmentum anomalon quum nec in hoc vniuerfo fieri poffit, nec in illo poetico, nec interne poffit effe fingulariter verifimile, quia iam quafi recepit in finum, quibus nihilo fecius contradicat, vnde gentium accipiat adeo neceffariam elegantiae vel veritatem, vel omnino verifimilitudinem? S. XXVII, XXVIIII. Vide, quanto illud opere caueat Liuius, l. 2. ne de morte Aeneae famam poeticae fictionis infringat, quoniam ftrictiffime veram fictionem promere, aut non voluit, aut non potuit: *Situs eft*, ait, *quemcumque eum dici iusque fasque eft, fuper Numicium flumen: Iouem indigetem appellant.*

§. 522.

Ad eiusmodi tamen anomala figmenta ne trahantur, 1) fi diffenfus eft inter hiftoricos ftrictiffime vera, et poetas heterocosmica fingere fupponendos, §. 519. Hinc huc non pertinet: *An amauerit Didun Aeneas*, de qua quaeftione peculiarem librum edidiffe dicitur Atteius philologus, quia Iuftinus poft Virgilium, huic contrarius, narrat eam vniuiram et castisfimam l. XVIII. Iuftinoque rationes chronologicae fauent. Aufonius hic po-

potius et Silius liberum habuerunt, quem ſequi velint mundum, hunc, an poeticum. Vnde Auſonius vtrumque ſequutus eſt in diuerſis epigrammatibus, ſane non graui culpa. Poeticum epigrammate, de quo §. 408. Hunc ep. 111.

Vos magis hiſtoricis, lectores, credite de me,
Quam qui furta deum concubitusque canunt,
Falſiloqui vates, temerant qui carmine verum,
Humanisque deos aſſimilant vitiis.

§. 523.

Silius autem ſequutus eſt mundum Virgilii poeticum, non tamen ſine libertate poetica, L. VIII. Apud hunc diſtrahuntur, apud Virgilium maiore cum vnitate ſe propius excipientia. Tandem Dido moritura,

Dii longae noctis, quorum iam numina nobis
Mors inſtans maiora facit, precor, inquit, adeſte,
Et placidi victos ardore admittite manes.
Aeneae coniux, Veneris nurus, vlta maritum,
Vidi conſtructas noſtrae Carthaginis arces,
Nunc ad vos magni deſcendet corporis vmbra.

Me

Me quoque fors dulci quondam vir notus amore

Exſpectat, curas cupiens aequare priores,

Confer §. 405, 406. et hanc Didonem Silii, niſi fallor, quantum poſtpones Virgilii Didoni, tantum tamen adhuc antepones Ouidii Didoni: ſicut Auſoniana Dido, de qua §. 520, maior eſt, ac Dido Auſonii, de qua §. 405.

§. 524.

2) Si diſſenſus ab antecedente nos mundo poetico tantillus fuerit, vt inde oriri viſa falſitas tantilla ſit, quae forſan ad §. 454. referri poſſe iure cenſeatur. Huc aequus cenſor referet Aeſchyli receſſum a mundo Homeri poetico, dum in hoc Patroclus aetate maior eſt, ac Achilles, Aeſchylus Patroclum tamen iuniorem fingit, ideo a Platone, magno poetarum inimico, male habitus. Hinc nec deterritus eſt auctoritate tanti philoſophi Martialis, quin Aeſchylum potius, quam Homerum ſequeretur, XI. ep. 44. nec Statius ſibi temperauit, quin omnino medium velut iter ſibi nouum legeret, cuius in Achilleide Patroclus Achilli

par ſtudiis aeuique modis.

§. 525.

Regerat aliquis: Has certe fictiones concedes eſſe mendacia. Cur itaque definis, il-

 luſtras,

lustras, distinguis, et analogica saltim commendare videris? §. 516. Equidem ipse despero *populum falsis vocibus vti dedocere*, §. 504, hinc ex eius loquendi modo dixi sententiam aperte, §. 477. Forsan tamen S. Augustinus me felicior est, quando ille l. II. quaest. eu. 51: *Non omne*, inquit, *quod fingimus, mendacium est, sed quando id fingimus, quod nihil significat:* (quod nullius veritatis est, sed non solum falsitatis aestheticae, verum etiam moralis, foetus et turpe signum) *tunc est mendacium. Quum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem*, (vt in aliquo comparatiuo, cuius perceptio satis digna est, veritatem si complete certam non possumus, saltem incomplete talem, si maximam aliquam non possumus, ei tamen proximam veritatrm candido pectore, purisque manibus exhibeamus), *non est mendacium, sed aliqua figura veritatis*, §. 26. *Alioquin omnia, quae a sapientibus et sanctis viris, vel etiam ab ipso domino, figurate dicta sunt, deputabuntur mendacia, quia secundum vsitatum intellectum* (veritatis strictissime dictae) *veritas non subsistit in talibus dictis. - - - Fictio, quae ad aliquam veritatem refertur* (haec autem esse etiam potest poetica) *figura est, quae non refertur, mendacium est.*



SECTIO

SECTIO XXXII.

FABVLAE.

§. 526.

Iudicium generale, s. DOGMA, vel eſt theoreticum, vel practicum, Dogma practicum aeſthetice cogitatum eſt SENTENTIA, Conceptus inferior ſuum ſuperiorem, ſub quo continetur, DECLARANS, s. clariorem reddens, eſt EXEMPLVM. Exemplum ſententiae ſtricte fictum, §. 506. eſt FABVLA. Quanquam enim quaeuis, etiam ſtrictiſſime vera, narratiuncula, quoniam eundo plerumque creſcit et ſpurias ex adiectionibus fictis vires acquirit, nonnunquam fabula dicitur latius, vt ante ſuum diem ob luxuriam mortuus aliquis

It noua, nec triſtis, per cunctas fabula coenas,
Iuu. Sat. I.

tamen ſtrictius nobis vtendum erit vocabulo ſimpliciter, vt ſtrictiſſime veris opponatur narrationibus.

§. 527.

Fabula erit vel FICTIO HISTORICA STRICTIVS, §. 526, 509. quae nullis interſtincta fictionibus poeticis, §. 511. SIMPLEX

dicitur, vel fictio poetica, §. 511. vel ex historicis poeticisque fictionibus mixta. Fictiones generis secundi et tertii FABVLOSAE dicuntur. Nobis ad analogiam fictionum FABVLAS primi generis HISTORICAS, §. 526, secundi autem et tertii generis fabulas dicere liceat POETICAS.

§. 528.

Fabulae historicae §. 527. illae sunt, quae mediis aliquando fabellis interpositae tamen narrationum, immo historiarum, nomen accipiunt: poeticae autem sunt, de quibus Cicero de Inu. l. 27, tanquam de *genere narrationum remoto a ciuilibus caussis, quod delectationis caussa non inutili cum exercitatione dicatur et scribatur* (cogitetur venustius) loquutus easdem describit, *eas* (narrationes) *quae nec* (strictissime) *veras, nec* (strictissime) *verisimiles res contineant, cuiusmodi sit:*

Angues ingentes alites, iuncti iugo.

§. 529.

Quintilianus, l. 4. *narrationum tres* enumerat *species* 1) *historiam* (veram strictissime, saltim a potiori) 2) *fabulam, quae versatur in tragoediis atque carminibus, non a veritate modo* (strictissime dicta), *sed etiam a forma veritatis* (strictissimae) *remota,* 3) *argumentum, quod* (latissime) *falsum, sed veri* (strictissime talis) *simile comoediae fingunt.* Hinc etiam

fabella

fabella est fabula nobis poetica, §. 526. Quamque fabulam argumentum dicit, eam vere esse fabulam omnes concedunt comici, plerumque tamen argumentum Comoediae, et recte quidem, est species fabularum, quas historicas vocauimus, §. 527, En! primum Terentii prologum;

Poeta quum primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negotii credidit solum dari,
Populo vt placerent, quas fecisset, fabulas.

§. 530.

Sicut itaque veritas vel strictissime dicta est singularis, (historica) vel heterocosmica, poetica, §. 441. ita est etiam verisimilitudo aesthetica, §. 483. dos pulcre cogitandorum vniuersalis, §. 22. vel ea, in qua ne latissime quidem dicta falsitas appercipitur, VERISIMILITVDO STRICTISSIME DICTA (historica) vel ea, in qua latissime quidem sic dicta deprehenditur falsitas, spectatoribus tamen amabili vigilantium somnio semel in alienum orbem delatis per elegantem cognitionem mediam, sic satis possibilibus alterius illius mundi semel suppositis, omnia bene et apte cohaerent, sine viuidius notabili repugnantia, hiatu, saltu, e.c. Haec est VERISIMILITVDO HETEROCOSMICA (poetica). Prior est fictionum et fabularum historica-

ricarum, poeticarum posterior, §. 509, 527.

§. 531.

In iureiurando, quod habet Ouidius Met. III. 657:

Per tibi (Pentheu) *nunc ipsum*, (Bacchum) *nec enim praesentior illo*
Est deus, adiuro, tam me tibi vera referre,
Quam veri maiora fide.

in quo ratio complete certo videt nihil iurari, rationis analogon videbit verisimilitudinem historicam, potuisse aliquem bonum et pauperem piscatorem a primis vnguiculis aquae potorem, qualis Acoetes iurans pingitur, orgiis et omni Bacchico apparatu in eum enthusiasmum rapi, vt talia bona fide iuret. Poeticam autem verisimilitudinem tantum in sequentibus, si fictionibus heterocosmicis amabilia vigilantium somnia sequaris, secundum analogiam mythologiae graecoromanae, mutatos reliquos, Bacchi raptores in delphinas, solum Acoeten a Pentheo nunc in vincula coniectum, sed

Sponte sua patuisse fores, lapsasque lacertis
Sponte sua, (fama est,) nullo soluente, catenas.

§. 532.

§. 532.

Hinc et concipi poteſt ſatis vſitata fabularum diuiſio in probabiles et improbabiles. Pone enim analogon rationis qualicunque fabulae veriſimilitudine animaduerſa, §. 530. velut excitari ad curatiores rationum in aſſenſum vel diſſenſum ponderationes, in rationibus aſſenſus ſolas eas numerare, quae probent veritatem ſtrictiſſime dictam, reliquas veritatis cuiuscunque rationes negligendo, tunc paene ſolae fabulae hiſtoricae reſtabunt in bilance probabilium, reliquas omnes aut tantum non omnes ſurſum tollet improbabilium leuitas. Hinc FABVLA STRICTIVS PROBABILIS erit, ad quam ſtatuendam poſſibile huius mundi plus videtur rationis eſſe, quam ad id, vt ea mittatur in exſilium ex hoc mundo in heterocosmica, vel omnino in mundum fabuloſum. FABVLA autem STRICTIVS IMPROBABILIS erit, ad quam non habendam in poſſibilibus huius mundi plus rationis eſſe videtur, quam ad oppoſitum, §. 485, 486.

§. 533.

Eodem itaque, quo veritates, fictiones, fabulas, veriſimilitudines, PROBABILITATES etiam AESTHETICAS diſtinguemus in HISTORICAS, aut ſtrictiſſimae veritatis ſuperponderantes indices, et POETICAS, ſuperpondia veritatis heterocosmicae. §. 441,

 509,

509, 511, 527, 530. Fabula improbabilis (historice et in hoc vniuerso) non destituitur omnis probabilitate omni aesthetica (etiam heterocosmica) §. 531, latissime falsi similis, §. 489, potest nihilominus multum veritatis aestheticae continere, §. 441, 423.

§. 534.

Prima Phaedri fabula est improbabilis strictius, §. 532. quanquam eadem nihil esse saepe verius probent ita mores saeculi, vt demonstrationibus Spinozae supersedere possimus, L. autem III. fabula X. qua praefata,

Exploranda est veritas multum prius,
Quam stulta praue iudicet sententia,

post materiem narrationis probe pensitatam non destituetur sua probabilitate historica, §. 533, quanquam inusitatius est, talia contingere, quae narrat, quam quae prima finguntur fabula.

§. 535.

Subiungamus fabularum aliquas species, etiamsi propius non spectent verisimilitudinem, vt compleantur ea, in quibus sedulo curanda pulcre cogitaturis est verisimilitudo. In fabulis insignis commutatio infelicitatis in felicitatem NODVS est (περιπετεια), quem quae continent, sunt eae FABVLAE IM-

PLI-

PLICITAE et connexae, quarum partes δεσις et COLLIGATIO, μεταβασις et TRANSITVS, ac tandem λυσις, SOLVTIO.

§. 536.

Quis nescit dramatum fabulas implicitarum eiusmodi fabularum exempla, nunc comica, nunc tragica? Quemadmodum interim non ita felicem successum experti sunt tragoedias felicis euentus adorti fingere; sic nec illi rem suam agerent bene, quibus veniret in mentem comoediis vere tristem exitum affingere. Rationes ex cuiusvis poematis propria forma pulcrius erui possunt. Nunc sufficiat adnotare, non esse solas dramaticas fabulas vt eas cogitandas, quae nodum habeant. In ipsis epicis multae plures que, quae sunt in iisdem, velut episodia, huc pertinent. Immo aesopicarum si placeret aliquas diducere, huc transirent non paucae, quarum nunc nodus in scirpo quaereretur.

§. 537.

Exempla fabularum vel sunt ratione praedita, quorum FABVLAE RATIONALES appellantur, vel quae censentur ratione destituta, et horum FABVLAE moratae quibusdam, aliis FICTAE, apologi, aeni, αισωποποιητα vocantur, vel partim ex prima, partim

tim ex ſecunda claſſe coniuncta, quorum FABVLAE MIXTAE ſunt.

§. 538.

Rationalium addamus tres ſpecies, vel ordines potius inferiores, exempli gratia. 1) Exempla diuina vel diuinorum, rationalia tamen, ſi quibus ſunt, ſunt eae FABVLAE THEOLOGICAE, et ſtrictius mythologicae. 2) Exempla amoris, quorum FABVLAE ſunt MILESIAE, et romanenſes ſtrictius, quae latius cum fictionibus poeticis coincidunt. 3) Exempla virtutis ſublimis et gloriam promeritae, quorum fabulae ſunt heroicae. Quemadmodum his addi ſpecies ordinesue poſſent alii, ſic maior quaedam fabula e. g. epica nonnunquam eos omnes amplectitur ſimul, quando *per ambages deorumque miniſteria et fabuloſum ſententiarum tormentum praecipitat liberum ſpiritum, vt potius furentis animi vaticinatio*, de caſtis heroum amoribus, *appareat, quam religioſae orationis ſub teſtibus fides*. Petr.

SECTIO



SECTIO XXXIII.

ARGVMENTA PROBANTIA.

§. 539.

ARGVMENTA PROBANTIA nunc aestheticis nobis sunt, quorum vel vnica, vel potior, vel certe iam potissimum consideranda vis est, §. 143, exhibere cogitandis et quasi circumdare pulcram verisimilitudinem, et eam veritatem, quae quantacunque sit, quotcunque falsis videatur inuoluta, se probet tamen et iucundam ac facilem praebeat bonis omnibus haec veritatis viridaria penetrare gnaris.

§. 540.

Velut omnibus aptum argumentis eiusmodi legimus exordium apud Lucretium L. II.

Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem. - - -
Desine quapropter nouitate exterritus ipsa
Exspuere ex animo rationem, sed magis acri
Iudicio perpende, et, si tibi vera videtur,
Dede manus, aut, si falsa est, accingere contra.

Quaerit

Quaerit enim rationem animus.

Nec tamen omnia, quanquam nec nihil, dicit poſt tantum prologum non ita paruus promiſſor, de mundorum multitudine. Quintilianus huc facientium argumentorum magnam congeriem conſcribens, V. 10. vocem argumenti quidem probantibus perſuadentibusque ſolis ſignificandis nunc adhibet, ipſe tamen monet *omnem ad ſcribendum deſtinatam materiem* dici poſſe argumentum. Ergo et omnis ad cogitandum materies, ratio alterius perceptionis, perceptio, §. 26.

§. 541.

Iam obſeruaui Quintilianum non diſtinguere probantia argumenta a perſuadentibus. Hinc ad probationes *euthymemata, epicheremata et apodixes* omnes refert, *euidentes probationes*, vti apud Geometras. Sed infra patebit vberius, cur nunc ab iisdem abſtineam. Aliud eſt argumentum veritatis aeſtheticae, aliud argumentum illuſtrans. Haec compone, et tunc demum habebis argumentum perſuadens. Omne perſuadens probat, ſed non omne probans perſuadet, §. 22, 539. Verum perſuadeat etiam, nunc tamen vnice attenditur, vt probans.

§. 542.

Acquieſcamus in deſcriptione apud Quintilia-

tilianum l. c. quando, *argumentum*, ait, (probans) *est ratio probationem praestans, qua colligitur aliquid per aliud, et quae, quod est dubium, per id, quod dubium non est, confirmat.* Verum ohe! quae quanta postulat? pergens: *Debet nota esse, recte argumenta tractaturo, vis et natura omnium rerum, et quid quaeque earum plerumque efficiat. Hinc enim sunt, quae εικοτα dicuntur.* Verum interpretemur *nota* aesthetice et *res omnes*, de quibus pulcre cogitare instituas. Generatim enim suo postulato satisfacere concedit ipse *longum, impossibile, aut potius infinitum esse.*

§. 543.

Sed veniamus ad quaedam eiusmodi species argumentorum, non excussis denuo topicis, de quibus iam supra sic satis, S. X. Habent in figuris dictionis Paregmenon, qua radicibus et origine cognata coniunguntur vocabula. e. g. Ou. de Ponto, II. 5.

Tu quoque Pieridum studio, studiose, teneris,
Ingenioque faues, ingeniose, meo.

Haec quoties fit argumentum probans, vel ex *finitione per etymologiam*, quam Quintilianus dicit, aut ex ονοματολογια desumtum, vel illud *de coniugatis, quod ridiculum putasset, nisi eo Cicero vteretur*, fit figura sententiae, multa nonnunquam cum verisimilitudine adhibenda, §. 26, 539.

§. 544.

§. 544.

Nec enim deſunt in plerisque ſpectatorum, quos ſuos vult venuſte cogitaturus, anticipationes huiusmodi: 1) Cordati noſtri maiores vocabulis ſimilibus et cognatis et cognatas ſimilesque, profecto, res ſignificare voluerunt. 2) Propoſitiones tautologicae, vel totaliter, vel maximam partem, ſunt etiam identicae. Fundamenta argumenti et etymologici, et a coniugatis eleganter petendi, §. 543. Sic Cicero ex vocabulo *conuiuii* praelato graecorum συμποσιοις nunc vel ipſis germanis noſtris veriſimile redderet, ſi vellet, viuendum potius vna eſſe in conuiuiis, quam vna bibendum. Neque apud germanos ſuae linguae fautores nullum erit argumentum, ex eorum eſſentiali vocabulo, quo felicitatem deſignant, ipſis aeſthetice probaturi, virtutem eo beatitudinemque non minus, ac fortunam, pertinere, ſi quis id artificis manu tornare didicerit, ne ſcholam ſapiat.

§. 545.

In figuris ſententiae quae numerantur, earum AETIOLOGIAN huc eo ſuo iure primam cito, vt eandem omne venuſtius probans argumentum audeam definire, et COLOREM, aetiologian ſtricte fictam, qui tamen non confundendus eſt cum coloribus, de quibus infra, ſicut cura quaedam laudatur,

curae

curae vituperantur omnes satis commode. Est eiusmodi multiplicata aetiologia apud Ciceronem pro Plancio: *Quis est, qui neget, ordinis eius,* (publicanorum) *studium fuisse in honore Plancii singulare? Neque iniuria, vel quod erat pater is, qui est princeps iam diu publicanorum, vel quod is ab sociis vnice diligebatur, vel quod diligentissime rogabat, vel quia pro filio supplicabat, vel quia huius in illum ordinem summa officia quaesturae tribunatusque constabant, vel quod illi in hoc ornando ordinem se ornare, et consulere liberis suis arbitrabantur.*

§. 546.

Coloris exemplum habet Iuuenalis Sat. VI. 229. quod fallor? an est alicubi gentium strictissime verum?

Sed (vxor) *iacet in serui complexibus, aut equitis. Dic,*
Dic aliquem, sodes, heic, Quintiliane, colorem, §. 545.
Haeremus. Dic ipsa: Olim conuenerat, inquit,
Vt faceres tu, quod velles, nec non ego possem
Indulgere mihi. Clames licet, et mare caelo
Confundas, homo sum. Nihil est audacius illis
Deprensis. Iram atque animos a crimine sumunt.

Ipsa

Ipſa illa decantata Virgilii ſententia, §. 499. non niſi color eſt, quo Aen. L. XI. *Drances*

inſenſus, quem gloria Turni
Obliqua inuidia ſtimulisque agitabat amaris,

ſeditione potentem animum tegit, v. 362. grauiter reprehenſus a Turno: v. 399.

Nulla ſalus bello? Capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis.

§. 547.

Iam dictum de omni et nullo docet, quanto huc iure pertineat ſententia, §. 525. quoniam ex generalibus colligi ſingularium et inferiorum ſub illis contentorum veritas ſolet. Erit autem ſententia probans etiam vel aetiologia, nunc complete certa, nunc aeſthetice probabilis, vel color, §. 545. Primae exemplum eſto Saluſtii introitus: *Omnes homines, qui ſeſe ſtudent praeſtare caeteris animalibus ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant, veluti pecora, quae natura prona atque ventri obedientia finxit.* Secundae: *Mihi rectius videtur ingenii, quam virium opibus, gloriam quaerere, et, quoniam vita ipſa, qua fruimur, breuis eſt, memoriam noſtri quam maxime longam efficere.*

§. 548.

§. 548.

Sententiam, quae color eſt, §. 546. optime morati tunc non raro ſuis interſerunt, quando improbe factorum veriſimilitudinem praeſtituri coguntur aliquid eorum promere principiorum practicorum, ex quorum peruerſa opinione mali animi peſſime egerint. Huc ſententia Euripidis, ſed ex alterius ſenſu prolata, quam Cicero vertit, Caeſar ſuam toties fecit:

Si violandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt, aliis rebus pietatem colas.

Multa tamen opus in his erit cautione, partim vt ſatis conſtet ex mente ſcelerati talia proferri, partim ne tantum habeant ambiguitatis, aut adeo lepidae et venuſtae concipiantur, vt, plus aequo ne placeant, merito timendum ſit, §. 465, 467.

§. 549.

Nec inutiliter SENTENTIAE diſtinguuntur in prolatas DE FACTO et eas, quae DE IVRE, iuſto et aequo, concipiuntur. Priores rem qnandam moralem generatim ſiſtunt, ob oculos, vti plerumque ſe ſolet habere, vti ſolet contingere, non eo detorquendae, quaſi probaretur et commendaretur imitandum, quod meditationis argumentum eſt.

Auri sacra fames, quo non mortalia cogis
Pectora!

Posteriores ita generalia quaedam ad mores pertinentia exhibent, vt simul ostendant, quid in iisdem verum et laudabile ponat affirmans:

Discite iustitiam moniti, et non temnere
Diuos.

Hic adhibebitur bene cautio, de qua §. 547, quo crebrius ea confundi, quae fiunt, quaeque debent fieri, quotidiana docet experientia. *Quatocuique eadem honestatis cura secreto, quae palam? Multi famam, conscientiam pauci verentur.* Plin. III, ep. 20. Tandem meminerimus in sententiis §. 174, nec eas temere cumulemus, vbicunque *viuendi praeceptores* videri nolumus, ne quando nobis forte videmur grauissimi, tenues γνωμοτυπων venas imitari videamur, de quibus, §. 370.

§. 550.

Philosophi post geometras accurati nouerint, quantum ad eruendam veritatem valeat vera definitio, praesertim genetica. Haec de multis pulcre cogitandis in logico etiam rigore concepta si cognita fuerit eleganter meditaturo, etiamsi non ipsa totidem syllabis et notis exprimatur, quot eam intellectus distincte cognouit, sed vel omittatur omnino, vel pluribus interstincta notis et characteribus in pleniorem analogoque rationis rotundiorem

diorem diluatur deſcriptionem, vel nominalem, vel realem, tamen notionis directricis inſtar, vti plures ad elegantias viam ſternet, ita foedam impoſſibilitatem internam figmenti vtopici cauebit, praebebit internam, nonnunquam etiam externam, poſſibilitatem deſcripti, primam eius vnitatem, nexum cum cauſſis et prima conſectaria, facili negotio ex regulis artis aeſthetices exornanda in veritatem aeſtheticam, S. XXVII. Hinc definitionem nunc non poſſum non legere in argumentis probantibus, vel omiſſam, ſeu non explicite cogitatam, vel transformatam in ſatis bellam deſcriptionem, §. 539.

§. 551.

De definitionibus et deſcriptionibus aeſtheticis eſt ſpecialis in noſtra diſciplina tractandi locus. Hic earum tantum attendenda eſt in pulcre probando vis et efficacia, §. 550. Quemadmodum olim graeci oceano ſe ſuaque tradentes ad curſum vrſae maioris, velut ad ducem viae ſuſpiciebant, phoenices autem ad Cynoſuram directius gubernabant: ita quo verior, quo exactior erit de pulcre cogitandis mente concepta definitio, hoc omnis venuſtae meditationis decurſus erit veriſimilior, verior, certior, quo vero craſſior, quo pluribus iam conceptibus adhaerentibus erroneis ſcatens primus eleganter cogitandi ſit conceptus, hoc facilior erit in ipſam aeſtheticam falſita-

 tem

tem declinatio. Finge de casu, fortuna, fama, honore, diuitiis, amicitia, negotiis publicis, e. c. pulcre cogitaturum, qui, quid ea sint, natura sua, non melius nouerit, ac omnes solent, qui sibi nihil esse magis perspectum putant, dum sciunt cum ignarissimis. Hinc illae tot falsae sententiae, tot imaginum deturpationes, ne verisimiles quidem, tot verborum ambages, quibus omnino nihil dicitur.

§. 552.

Vnam adhuc commendemus in elegantioribus probationum argumentis epanorthosin, siue correctionem. Primo repetamus animis, quid verum et exactum, in quo limatur ipsa veritas, vtique differant. M. §. 515. Hinc inferamus: Sicut veritas qualiscunque non est exacta, sic cogitari etiam potest AESTHETICA VERITAS et verisimilitudo CRASSA quaedam et nimis popularis, immo paene plebeia; potest eadem ad lapidem lydium, nisi purioris rationis et intellectus, vt ita dicam, scientifici, tamen delicatioris saporis et maturi iudicii, etiamsi sensitiui, qua partem potiorem, exigi. Possunt ex eadem poliendo tolli conceptus adhaerentes, nisi falsi omnes, ii tamen, quos nonnihil falsitatis etiam aestheticae tuis materiis illaturos verearis. Haec est VERITAS et verisimilitudo AESTHETICA EXACTA.

§. 553.

§. 553.

Studium illud apprime commendandum, S. VI. §. 22, 423. vel primo ſtatim cogitationum impetu quaſi fuſas ideas rerum et ſententiarum generaliumque aliorum notiones exactas craſſis omnino ſuppreſſis ſubſtituit, vel harum praeſumens in ſuis praecipuis ſpectatoribus anticipationes easdem primo *κατ' εικος* expreſſe cogitat, quales eſſe ſolent, dein autem corrigendo exasciat, et purgata falſitatum etiam aeſtheticarum, etiamſi minorum, ſordibus. Haec eſt epanorthoſis. e. g. Finge cum Horatio Serm. II. 6. Inter conuiuas venuſte laetiores.

Sermo critur, non de villis domibusue alienis,
Nec male, necne Lepos ſaltet. Sed, quod magis ad nos
Pertinet, et neſcire malum eſt, agitamus, vtrumne
Diuitiis homines, an ſint virtute, beati,
Quidue ad amicitias, vſus rectumne, trahat nos,
Et quae ſit natura boni, ſummumque quid eius.

En! epanorthoſin crypticam colloquiorum, in familiaribus etiam, verius venuſtorum, et exemplum in aeſthetice verum exactius inquirentium, quoniam

Ceruius haec inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas.

§. 554.

Fructum eiusmodi confabulationum exactioris in aestheticis veri studiosarum, profecto, bellum leges, nouam satis vsitatae correctionem opinionis, IV. od. 9.

Non possidentem multa vocaueris
Recte beatum. Rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter vti,
Duramque callet pauperiem pati,
Peiusque leto flagitium timet.
Non ille pro caris amicis,
Aut patria timidus perire.

Huc artificium in notione quadam e. g. opum crassiuscula conceptus adhaerentes falsos, quos plerique habent infinite paruos, per hyperbolen ironicam attollendi vel deiiciendi potius in manifestam falsitatem, etiam aestheticam, S. XXVIII. e. g. Hor. Serm. II. 3. v. 94. *Omnis res,*

Virtus, fama, decus, diuina humanaque pulcris
Diuitiis parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus. Sapiensne? Etiam, et rex,
Et quicquid volet.

SECTIO



SECTIO XXXIIII.

STVDIVM VERITATIS AESTHETICVM ABSOLVTVM.

§. 555.

Quo maior eſt aeſthetice verorum, veriſimilium, fictionum, fabularumque ſilua, per quam errare poteſt pulcre cogitaturus, ne vagetur in eadem licenter, omnes potius ſua peccata falſitate deturpantia viſuros putet, in eleganti talis ingenii pectorisque perſona iam ſeparatim attendi debet ſingulare VERITATIS STVDIVM, quo nomine complecti liceat, non ingenium ſolum aptum, ſed et multo labore exercitatum et adſuetum perſpiciendis veritatibus aeſtheticologicis, neque qualemcunque propenſionem, ſed firmum animi propoſitum inferendi ſuis meditationibus veritatem, quam admittant ſalua totius pulcritudine, maximam. Hunc animi characterem, quoniam omnibus vniverſim belle cogitandis neceſſarium iudico, §. 22, dicamus STVDIVM VERITATIS ABSOLVTVM et vniuerſale, §. 29, 45.

§. 556.

Poſſet idem ex grauitate abſoluta demon-

 ſtrari,

ſtrari, S. XXIII. iis, qui norunt omnem virtutem a multis non ineptis philoſophis in amore veritatis conſtitui. Vnus ex ſummis elegantiarum arbitris inter Anglos, *omnem pulcritudinem veritatem eſſe* decernit, *in ipſa Poeſi, vbi omnia fabulae ſint veritatem tamen dominari, et efficere perfectionem totius.* Praeſtabit autem ſeuerioribus veritatis fautoribus aeſtheticologicae gradus altius nonnihil repetere. Minima eſt minima perceptio veritatis metaphyſicae minimae. Hinc 1) quo vberior, 2) quo maior et dignior, 3) quo exactior, 4) quo clarior et diſtinctior, 5) quo certior et ſolidior, 6) quo ardentior eſt perceptio obiecti, 7) quo hoc plura, 8) quo maiora ac grauiora, 9) quo fortioribus regulis, 10) quo conuenientiora complectitur, hoc maior eſt veritas aeſtheticologica, §. 437. M. §. 184.

§. 557.

Non putauerim nunc opus eſſe demonſtratione 1) nullam veritatem maximam eſſe aeſtheticologicam, ſed ſtrictius logicam, §. 424, 2) talem veritatem nullam in hominem cadere, nullam rem in veritate logica maxima ab vllo hominum intellectu cognoſci, quoniam qui vnam ita cognoſcit, omnes nouit. Hinc omnis veritatis apud hominem aeſtheticologicae, malum metaphyſicum, defectus veritatis ſummae logicae in omniſcientia tantum obuiae infinite magnus. Adeo-

Adeoque mentis bene ſanae ſtudium veri amantiſſimum quoniam ferri tamen non poteſt in ea, quae noſſe poteſt non poſſe fieri, nec omnino nihil velle, quam primum ſe non poſſe nanciſci omnia cognouerit: contentum eſſe debet, parte veritatis logicae latius ſumtae ſummae infinite parua, ea ſcilicet, quam adipiſci poteſt, §. 556.

§. 558.

Perfectionem veritati logicae latius ſumtae, §. 556. n. 1-6. formalem, n. 7-10. materialem conciliant. Hinc humanum veritatis ſtudium nunc formalem potiſſimum intendit, quod fieri non poteſt ſine diſpendio materialis, nunc materialem potiſſimum amplectitur, neque poteſt idem, niſi cum detrimento formalis, §. 557. Tribuitur alicui, non copioſa ſolum, ſed et completa, non ſatis magna ſolum, ſed et obiectum ſuum exaequans, eique adaequata, non vera ſolum, ſed et exacta, cui nihil inſit omnino falſi, non clara ſolum, ſed et complete clara, ſufficiens ad diſtinguendum obiectum ab omnibus, ſed et diſtincta, cuius omnes notae clarae ſunt, non raro per plures gradus, non certa ſolum, ſed et complete certa, rigoroſe demonſtrabilis, et omnem formidinem oppoſiti excludens, non mouens ſolum, ſed et cogens ad aſſenſum, extorquens approbationem, et aliquam voluptatem appetionemque neceſſariam cognitio.

§. 559.

Haec omnia bene ſe habent. Sed quale eſt illud obiectum, quod homo tam perfecta ratione contemplatur? Vniuerſale quoddam ex indiuiduis plurima maxima, fortiſſimis regulis conuenientiſſima, pro ſuo quaeuis modulo, complectentibus, ceu notas differentiarum ad numericam vsque plurimarum innumeras, ita ortum, vt in his, in quibus veritas metaphyſica determinatiſſima ſolis ſit, quaeque perceptioni hinc perfectionem materialem generice maximam conciliarent, ſi perciperentur, vt indiuidua, 1) abundantia vltra perceptionem, quae completa ſit, abſtrahantur, 2) maiora ac grauiora, quam gradus eſt, qui in cognitione ponebatur, obiectum exaequante, abſtrahantur 3) ea, de quibus data exacta cognitio non ſatis perſpicit, an vera ſint, nec ne, ne quid ſuperſit cognitioni falſitatis, abſtrahantur, 4) ea, quibus non opus eſt ad diſtinguendum, cum iis, quae clara fieri dato ſubiecto refugiunt, abſtrahantur, 5) ea, quae dato ſubiecto nondum ſunt complete certa, non demonſtrabilia rigoroſe, in quibus ſupereſt formido oppoſiti, abſtrahantur, 6) ea, quae mouere in contrarium, aſſenſum reuocare, taedium etiam forſan creare poſſent, abſtrahantur.

§. 560.

§. 560.

Sic enatis disciplinarum scientiarumque humanarum obiectis, vniuersalibus, §. 559. vtique perfecta, saepe pulcra, connascitur in animis solide doctorum veritas, etiam strictius logica. Iam autem quaeritur, an tali vniuersali sit aequalis veritas metaphysica, ac est huius indiuiduo, quod sub eodem continetur? Equidem arbitror philosophis apertissimum esse iam posse, cum iactura multae magnaeque perfectionis in cognitione et veritate logica materialis emendum fuisse, quicquid ipsi perfectionis formalis inest praecipuae. Quid enim est abstractio, si iactura non est? Pari ratione ex marmore irregularis figurae non efficias globum marmoreum, nisi cum tanto saltim materiae detrimento, quantum postulabit maius rotunditatis pretium.

§. 561.

Iam supponatur veritatis aesthetico-logicae studium aliquando ferri praesertim in perfectionem eiusdem materialem, §. 558, et hinc amplecti obiecta veritatis metaphysicae, quae potest, determinatissimae. Hic intentio non est dato consilio amputare per abstractionem cuiuscunque rotunditatis impedimenta, neque tamen est opis humanae determinationis omnimodae latissimum ambitum sibi complete signare; data opera non praescinduntur magnitudinem

in-

intellectionis nostrae superantia, neque tamen omnia determinarum rerum et paene vel omnino actualium pondera assequi et iustis momentis exaequare mens humana potest. Non constituimus praescindere, quicquid vlla ratione falsi speciem posset induere, neque tamen in indefinitis eiusmodi obiecti tantum non singularis momentis verum vbique liquet. Non est consilium omittere et prorsus in voluntarias tenebras relegare, quae requisitam aliquam claritatem non habent, et tamen ad eandem singula momenta obiecti tollere vires, locus, tempus non permittunt. Non animus est aliquantulum incerta prorsus omittere, neque tamen omnia cogitans rigorose demonstrare potest, quae obiecto determinatissimae veritatis conueniunt. Multa, quae placeant, aut odio sint, praescindere non constituimus, neque tamen vires sufficiunt ad omnia sic exhibenda, vt efficaciter appetere, vel auersari certis deliberatisque decretis ea meditatus possit.

§. 562.

Habes perfectionem veritatis aesthaeticologicae compositam, §. 556, vides exceptiones ineuitabiles, vtramque si velis assequi vel mediocriter, §. 560. 561. Intellectus et ratio purior seueriorum veritatis amicorum, per accuratas scientias ita formalem sequitur, §. 560. descriptam, vt complementa ac supplementa veritatis materialiter perfectae, suis

ſuis vniuerſalibus et abſtractioribus ad formalem ſcientificorum perfectionem deductis, adiicere pro viribus relinquat analogo rationis et cognitionibus quocunque gradu ſenſitiuis.

§. 563.

Verum amicus veritatis non minus ſtrenuus, qui ſequitur eandem analogo rationis, non habet denuo facultatem ſenſitiuam inferiorem, cui relicta a ſe et omiſſa commendet, ob veritatis materialem perfectionem tamen ea, quae multum habent in ſe veritatis metaphyſicae determinatiſſimae negligere omnino non audet. Hinc huic magis neceſſarium eſt nonnunquam excipere a regulis ſummae perfectionis formalis in indaganda veritate aeſthetica, ne nimium detrimenti capiat veritatis eiusdem perfectio materialis, §. 558.

§. 564.

Vniuerſaliſſimis, abſtractiſſimis, et per artem, §. 559. deſcriptam ad perfectionem veritatis formalem ab hominibus obtinendarum ſummam euehendis partim omnino relictis horizonti logico, partim ex eodem detractis et inuolutis denuo nonnihil in non ita paucas, a quibus abſtraxerat ratio, differentias determinatiores, praeſertim autem perfectionem materialem veritatis aeſtheticologicae maximam exhibentibus ſingularibus, in-

indiuiduis, et determinatiſſimis fruitur horizon aeſtheticus, ſua ſilua, Chao, et materia, §. 129. ex quibus veritatem aeſtheticam ad formam, niſi perfectam omnino, pulcram tamen, §. 558, 14. ita exſculpat, vt inter elaborandum, quam fieri poteſt minimum veritatis materialiter perfectae pereat et elegantiae cauſſa poliendo deteratur, §. 563.

§. 565.

Sumat itaque pulcre cogitaturus ſibi materiam vel determinatiorem, vnam ex generibus inferioribus aut omnino ſpeciebus rerum, vel ſi altius videatur in genera ſuperiora adſcendere, teneatur tamen eadem veſtire multis, quas omittit purior ſcientia, notis et characteribus, vel tandem ſingularia ſibi legat themata, in quibus regnet perfectio veritatis materialis. Circumfundatur notarum ingenti multitudine. Reiecerit, quas non admittit pulcra forma. Reſtent, quarum vix vnam deſiderari breuis, ſed eleganter plena, rotunditas, venuſta dignitas, tum abſoluta, tum relatiua, veritatis ipſius materialis perfectio, elegans viuiditas et neceſſarius meditationi nitor, intima perſuaſio, vita praeſertim et ad delectandum ac mouendum efficacia patiatur. In his autem notis bene multis non ſit meditanti veritas metaphyſica completam ad lucem vsque perſpecta, licet nihil falſi turpioris iisdem inſit. Iam putauerim ad generalem aliquam formulam

lam

iam redegisse necessitates aestheticas, quarum aliquos speciales casus enumeraui, §. 491-502, in collisione regularum perfectionis in cognoscendo vero, excipiendi a veritatis forma perfectiori, ob veritatem materialiter perfectiorem inuoluendam amabiliori formae verisimilitudinis, §. 483.

● ●

SECTIO XXXV.

STVDIVM VERITATIS COMPARATIVVM.

§. 566.

Studium veritatis absolutum, sed aestheticum, §. 565. comparate sese exseret pro triplici veritatum specie, et materialiter perfectarum gradu, in quibus versatur, potissimum. Sunt eiusdem materiae 1) generalia, 2) actualia huius mundi, 3) heterocosmica. GENVS COGITANDI generalia sed eleganter exprimens est AESTHETICODOGMATICVM, actualia huius mundi venuste pingens, ob exiguum futurorum strictissima in veritate sistendorum numerum, dicamus AESTHETICOHISTORICVM. Genus tandem eleganter heterocosmica meditandi nominemus per nouam aliquam sy-

nec-

necdochen tunc etiam, quando non exprimitur carminibus, GENVS COGITANDI POETICVM.

§. 567.

Genus cogitandi aeſtheticodogmaticum quoniam 1) a materiarum per diſciplinas ordinibus denominatum theologicum, philoſophicum, e. c. commune nomen habet cum genere cogitandi theologica, philoſophica, e. c. ſcientifico et acroamatico, 2) altius adſcendendo ſaepius horizonti logico et aeſthetico communia contemplatur, 3) recte primaria ſua capita et meditationis momenta praecipua exhibet intellectui pulcro per diſtinctionem extenſiuam: plerumque confunditur cum genere cogitandi ſcientifico, et formaliter philoſophico, ſaepe cum eodem non inepte combinatur, ſemper tamen, vti vere diuerſum eſt, ſingularibus cum ſcientiarum non minus, quam elegantiarum, emolumentis ab eodem diſtinguitur. §. 566.

§. 568.

Ex confuſione duplicium dogmatica cogitandi generum, logici et aeſthetici, duplex dominatur praeiudicata opinio 1) eorum, qui tunc etiam, quando de rigidiori primorum cognitionis alicuius vniuerſalis principiorum intellectuali ac rationali theoria agitur, quam fieri poteſt exactiſſime, diſtinctiſſime, ſolidiſſimeque

meque pertractanda, subsistunt in diluta, nec omnino leui, verisimili, satis perspicua, quantulumcunque certa, veritatis expositione, modo placeat illa satis auribus, oculisue, rationisque videatur ferre, vere ferat analogi potius rationis calculum. 2) Eorum, qui dogma quoddam ad captum minus exercitatorum in scientiis, vel omnino popularem intelligentiam, et viua quidem voce, proponendum cogitant, idque tamen breuissimis definitionibus, exactissimis axiomatibus, distinctissimis notionum resolutionibus, demonstrationibusque complete certis exornare nequicquam laborant. §. 567.

§. 569.

Genus cogitandi logicodogmaticum et aestheticodogmaticum, a potiori desumtis denominationibus, non forma solum inter se differunt, sed etiam materiis, quibus conuenire vel maxime prima fronte videbantur. Prius vti thematis sui principia potissimum sequitur, ita posterius principiata et consectaria. Prius vti potissimum eruit vniuersalia, sub quibus thema suum continetur, ita posterius eiusdem thematis inferiores conceptus attendit potissimum, quos sub se continet. Etiamsi materiae a tota disciplina nomen acceperint, sunt tamen in quauis disciplina prima quaedam ordine, quaedam in methodo synthetica velut vltima. Illa po-

tiſſimum logicum, haec aeſtheticum ita ſectatur per diſciplinas cogitandi genus, vt dici circiter in qualibet poſſit, vbi deſinit logicum, aeſtheticum cogitandi genus incipere. §. 566.

§. 570.

Qui res interius perſpexerunt, probe vident inter ea rerum genera, de quibus ſcientiae huc vsque ſtricte dictae cultae ſunt, et indiuidua, interiacere adhuc magnam inferiorum generum, et ſpecierum intercapedinem, in cuius raro territorium demonſtratores deſcendant, in quod experimentatores et obſeruatores accurati raro feliciter adſcendant. Hoc eſt illud maxime ſtadium in quo cogitandi genus aeſtheticodogmaticum decurrat. Hinc vel ipſum ſibi thema legit optime, vel thema etiam altius petitum eo tamen vsque detrahit, ad maiorem veritatem materialem, §. 440. etiamſi fiat eo ipſo formaliter paullo minus exacta, ſecundum logicorum trutinam ſcientificam, i. e. elegantem ad veriſimilitudinem. §. 565.

§. 571.

Studium veritatis in genere cogitandi aeſtheticodogmatico comparatiuum, §. 566. 1) veritatem etiam ſtrictius logicam de ipſa materia, ſi fuerit horizontis aeſthetico-logici, vel de eius generibus notionibusque ſuperiori-

rioribus sollicite quaeret, etiamsi non exprimendam acroamatice, tamen vt directricem explicite cogitandae verisimilitudinis in generalibus et adoptandis notionibus. §. 429, 424. 2) Notiones, in quibus aliquid contradictionis ad absurditatem vsque, vel paene eo vsque, iam detexit intellectus et ratio, cauebit hoc curatius, quo probabilius est, tales etiam spectatores e. c. fore meditationi eiusmodi aestheticodogmaticae, qui latentem inconuenientiam et ipsi ratione certissime perspicere possint, et aliis in spectando, legendo e. c. sociis aesthetice satis ostendere. §. 431-435.

§. 572.

Studium veritatis in aestheticodogmaticis 3) in id praesertim incumbet, vt nexum materiae suae, breuius cum principiis, vberius cum grauissimis consectariis, verosimillimum viuidissime pingat, non sine desiderabili, vel taediorum ex auersando hauriendorum feraci persuasione, §. 437. 4) Si quid etiam progredi tentet in inferiora, ac ratio immediate praeluceat, supplementa tamen sua ad certitudine completa cognoscendum cum hoc inseparabiliter coniuncta sistere mouebit omnem lapidem, §. 439.

§. 573.

Studium veritatis in aestheticodogmaticis,

cis, 5) ea lubentiſſime ſuis exponet, quae cogitaturus etiam certo nouit logice vera, §. 571. per harmoniam facultatum cognoſcitiuarum inferiorum et ſuperiorum, nunc exhibenda aeſthetice vera; ſi hoc non conceditur praeferet logice ſibi probabilia, ſibi logice improbabilibus, §. 485. ob eandem harmoniam. Haec aut iudicabit ſuis praecipuis ſpectatoribus iam etiam fore veriſimilia, et in iisdem ſecurus acquieſcit; aut ſuſpicabitur, ea parum habitura apud hos veriſimilitudinis. In vltimo caſu aut habet occaſionem ad dandam ſuis veriſimilitudinem argumentis venuſte probantibus, nec tunc latum vnguem auellitur a vero, quod ipſi videtur, et ſuos potius ad ſuam ſententiam attrahere laborat, quam vt cum iis contraria ſentiat, aut conciliare ſibi probabilibus, ſuis quae ſint ſine dubio ſatis improbabilia, veriſimilitudinem locus et tempus non permittunt.

§. 574.

Si pulcre cogitaturus incidat in dogma ſibi probabile, quod nec eſſe ſuis veriſimile, nec a ſe iam tale reddi iisdem poſſe perſpicit §. 573. amicus veritatis aut nec hoc, nec oppoſitum, ſpectatoribus veriſimile, ponet, ſi licet ab vtroque abſtrahere, aut, ſi ponendum eſt aeſthetica neceſſitate alterutrum, multa cum grauitate perpendit, an ſpectato-

ribus

ribus ſuis praecipue attendendis veriſimile, ſit forſan error, communis quidem, oppido tamen innocens, an periculoſior, et cuius fautores rei falſitatis moralis vel per indirectum agi poſſint ex merito. §. 470, 467. In priori caſu vtetur opinione ſuorum, ſicuti philoſophi mathematicique fictionibus ſuis heuriſticis, in poſteriori latiſſime potius falſum errans cogitaſſe videri volet, §. 471. quam vt conſcientiam vel famam ſuam exponat futuro falſitatis moralis opprobrio, §. 464.

§. 575.

Studium veritatis in aeſtheticodogmaticis 6) non ſolius illuſtrationis gratia, ſed etiam ob §. 572, 569. multum in exemplis ſuae materiae verſabitur, §. 526. in iisque ſingularia praeferet vniuerſalibus, ideas notionibus, ſtrictiſſime vera heterocosmicis et fabuloſis, §. 472. aut ad haec quando venuſta vocauerit neceſſitas, ea non diſſimulabit eſſe fabulas, §. 565. aut fictiones aeſthetice heuriſticas, §. 574.

§. 576.

GENVS COGITANDI AESTHETICO-DOGMATICVM vel thema habet propius, quid agendum, vel omittendum ſit, enuncians, vel minus. Hoc eſt THEORETICVM, illud PRACTICVM. Practicum denuo

 nuo

nuo vel habet thema commendandum, PARAENETICVM, vel dissuadendum, ELENCTICVM. Quemadmodum Ciceronis et rhetorica et philosophica scripta sunt exempla generis cogitandi aestheticodogmatici, ita *officia* praesertim practici. Lucretius est exemplum cogitandi generis aestheticotheoretici. Saturae elenctici. In his Iuuenalis, quam omnino ficta promittat exempla, mauult *experiri*,

quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

§. 577.

Studium veritatis in aestheticodogmaticis cuiuscunque generis, §. 576. 7) si vel maxime complete certo cognoscenda tractet, tamen nunc non adscendet vltra VERISIMILITVDINEM aliquam, quam dicemus DOGMATICAM, qua dogma non quidem complete certum redditur, neque tamen vlla in eodem falsitas, repugnantia interna, vel contradictio cum complete certis, aut hoc saltim dogmate certioribus, nulla incohaerentia cum principiis, vnde deducendum foret, aut cum inde deriuandis consectariis totalis, e. c. nec intellectu, nec ratione, nec rationis analogo, quantae hae facultates in praecipuis obiectis personalibus supponendae sunt, appercipiatur, §. 483.

§. 578.

§. 578.

Nam definitiones ſtatim, quando non exaſciantur ad logicae artis ſeueras regulas, aut in deſcriptiones iterum pulcras affabre reſoluuntur, propoſitiones generales ſi enthymematice omiſſis iudiciis intuitiuis, ex quibus formatae ſunt, tamen exhibentur, vt experientiae, non axiomata ſolum et poſtulata ſecundaria miſcentur primariis, ſed et theoremata multa et problemata indemonſtrabilium inſtar ſumuntur, aut probantur ſaltibus logice illegitimis, etiamſi pulcris, formis crypticis, de quibus conuincendus non ſit complete certus, interim elegantibus et oratoriis, ſcholia ſi regnant, et plurimum abſorbent loci: quid aliud ex tali meditatione, ſi vel maxime complete certum thema habeat, nunc prodibit, niſi dogmatica veriſimilitudo? §. 577.

§. 579.

Si locus permitteret, vberius ex hiſtoria philoſophica poſſet oſtendi confuſionem huius dogmata cogitandi generis et accurate logici ac intellectualis §. 568. fontem eſſe, ex quo 1) philoſophi et omnes paene reliqui eruditi tot per ſaecula ſoliditate et certitudine ſuperati ſint a mathematicis, quibus ſua ſuis exponendo ſemper verum fuit intellectum et rationem praeſertim inſtruere, non promittendo ſolum, ſed et praeſtando. 2) Platonis, haec duo cogitandi genera ſemper

combinantis, ne dicam confundentis, discipuli, in tantam lapsi sunt incertitudinem, exceptis Aristotelicis, quorum praeceptor acroamaticis suis scriptis ostendit, quantum intersit inter logice verum, et aesthetice verisimile, si philosophemur. 3) Aeternae dogmaticorum scepticorumque, et nunc his, nunc illis viciniorum, lites. §. 9.

§. 580.

Studium veritatis aestheticum absolutum S. XXXIIII. se comparatiue exseret in summo suo gradu perfectionis etiam materialis maxime curiosum in genere cogitandi aesthetica historico, §. 466, cuius 1) genus maxime ordinarium est, res facti, singularia praeterita, describens, 2) non negligendum, aesthetico statum animi praesentem exprimens, 3) non ita crebro, saepius tamen, ac videtur, obseruandum futura praeuidens. Medium si dicas empiricum, tertium manticum cogitandi genus: GENVS COGITANDI AESTHETICO HISTORICVM erit vel STRICTIVS historicum, vel EMPIRICVM, vel MANTICVM.

§. 581.

Exempla primi sunt generis eleganter cogitandi, de quo §. 580. *clari scriptores, quibus veteris populi Romani prospera vel aduersa memorata sunt*, secundi tum epistolae non ita

ipau-

paucae, quas Cicero, et Plinius de rebus ad ſe pertinentibus tunc, quum eae fierent, perſcripſerunt, tum carmina inter amandum dolendumue ſcripta de amore vel triſtitia.

Verba miſer fruſtra nil proficientia perdo,
Ipſa graues ſpargunt ora loquentis aquae
-- -- --
Scilicet occidimus, nec ſpes, niſi vana, ſalutis,
Dumque loquor, vultus obruit vnda meos.
Hei mihi, quam celeri micuerunt nubila flamma?
Quantus ab aetherio perſonat axe fragor!
e. c.

§. 582.

Cogitandi genus aeſtheticomanticum nolim in ſolis vaticiniis veris fictisue quaeri, e. g. ecl. Virg. IIII. ſed praeſtat illud intermixtum aliis obſeruare, quoties in futura dirigendus ex praeſentibus, vel praeteritis, vel omnino generalibus eſt, citra diuinationem etiam omnem extraordinariam, animus. e. g.

Forſan et haec olim meminiſſe iuuabit.
O paſſi grauiora! deus dabit his quoque finem.
Virg.
Quo nos cunque feret melior fortuna parente,
Ibimus. O! ſocii comitesque
-- -- --
O! fortes peioraque paſſi
Mecum ſaepe viri, nunc vino pellite curas,

Cras ingens iterabimus aequor. Hor. I. od. 7.

§. 583.

Genus pulcre cogitandi ſtrictius hiſtoricum, et in aeſtheticis tam empiricum, quam manticum, differunt 1) a logica et critica ſeueriori cura hiſtorici, ſaltim bene praeliminari, qua per memoriam et iudicium intellectuale, multumque rationis vſum ſuam ſibi materiem ex magna traditionum, rumorum, famae, calumniarum, fictionum, fabularum e. c. farragine ſeligit, ante, quam eleganti, quae placuerunt, contexat iucundae narrationis tela, 2) a logica experimentatorum et obſeruatorum veri nominis inter philoſophos ſolicitudine, qua rem ſenſam iudiciis intuitiuis et experientiis ſtricte dictis ita ſiſtunt intellectui, vt vitium ſubreptionis pro virili caueatur, et enthymematice omiſſae maiores, opiniones praeconceptae: 2) a logica et rationali prouidentia, qua politicus e. g. futurum ſuae reipublicae ſtatum, quaſi ex aliqua ſpecula, metitur.

§. 584.

Studium hoc veri in aeſtheticohiſtoricis, quoniam maximam partem inferioribus animi facultatibus exercetur, §. 583. non fictionibus ſolum latius dictis, §. 505. indiget, ſed in

in meditationibus etiam paululum extendendis interſeret complete certo a ſe cognitis, vt ſtrictiſſime vera, tum generalia minus certa, tum ſingularia, quae num vere ſint huius vniuerſi poſſibilia, complete conuictum non eſt. §. 507. Hinc neque hoc veri ſtudium aſſurget vltra veriſimilitudinem, §. 483. neque tamen qualemcunque ſataget attingere, ſed ſicut in interſperſis ſuis generalibus dogmaticam, §. 577. amplectetur, ſic in ideis ſtrictiſſime dictam, §. 530. ne ſtrictius quidem dictas fictiones hiſtoricas omnes refugientem, §. 509. tamen et in his auerſam ab omnibus, quae falſitatis moralis, leuis partium ſtudii, credulitatisue iure poſſent accuſari, et poeticarum omnium fictionum, et vtopiam et mundos, praeter hunc, optimos, quoties hiſtorica fide ſuas cogitationes obligat. §. 566.



SECTIO XXXVI.

STVDIVM VERI POETICVM.

§. 585.

Aeſtheticum veri ſtudium abſolutum, S. XXXIIII. in aliis iam indicatis rationibus poteſt moueri ad genus cogitandi poeticum, §. 566. quando 1) venuſtae plenitudini

ni requiſitorum non ſatis hiſtoria porrigit, et aperte mauult vir bonus hinc mentiri copiam pulcriorem excogitans, quam callide fidem hiſtoricam corrumpere. 2) Quando plus dignitatis, vel etiam maieſtatis dabunt, ficta exempla heterocoſmica, quam hiſtorica, ſemper aliquid humani paſſa, quod ſupprimere ſaepe permittit ne ſtrictiſſime quidem dicta veriſimilitudo, §. 584. 3) Quando moralis plus veritatis, characterum, loci, temporis maior vnitas ſperari poteſt, et obſeruabilior ac, vt ita dicam, contractior nexus, ex heterocoſmicis, quam ex rebus in hoc vniuerſo propter rationes ſuperiores diſtractioribus, aut propter imbecillitatem humanam inconſtantioribus. 4) Quando ob anticipationes ſuorum potiorum in ſpectatoribus ſperare poteſt notius ipſis heterocoſmicum fore, quam euentum huius mundi, ſed in parte eiusdem his admodum incognita ſitum. Sunt in mundo fabularum mileſiarum, aut fabellarum aeſopicarum ſatis verſati multi hoſpites in hiſtoricis. 5) Quando fictionibus faciliorem fidem ſperat, quam ſtrictiſſime veris. Hoc non ita raro poſſe ſperari fidem inueniet apud eos, qui nouerint, quoties, quot hominibus opus ſit dicere: *non putaram*, 6) quando veritas ſtrictiſſime dicta praeuidetur alia omnia, quam eam habitura vitam, quae potiſſimum intenditur. §. 561.

§. 586.

§. 586.

Quod ſi ſtudium veri abſolutum impulerit pulcre cogitaturum ad heterocoſmica fingenda, §. 585. iam transmutatur in ſtudium veriſimilitudinis poeticae, §. 530. quae tantum abeſt, vt eadem ſit cum veriſimilitudine hiſtorica, et ſtrictiſſime dicta, vt, ſi ad alterutram, vel dogmaticam, §. 577. vel ſtrictiſſime dictam eam referre neceſſarium eſſet, εικος poetarum ad dogmaticam potius referrem, fauente ſatis Ariſtotele, qui *hiſtoricum* iubet, *quae facta ſunt*, *poetam*, *qualia fieri debent*, *referre*, *et inde poeſin meliorem et magis philoſophicam laudat*, *quam hiſtoriam*, *quia magis vniuerſalia dicat*, *hiſtoria autem ſingularia. Vniuerſale enim eſſe*, *contingit talem talia dicere aut facere*, *ſecundum neceſſarium aut veriſimile*, *ſingulare autem*, *quid Alcibiades fecerit*, *aut paſſus ſit.*

§. 587.

Falluntur hinc critici quidam minus inſtructi veriſimilitudinem poeticam ad hiſtoricae leges examinantes, quando poetam i. e. nunc fingentem heterocoſmica ſtatim condemnant peccati in veriſimilitudinem, quando tunc et ibi fingit aliquem occidi, quando et vbi vixiſſe eundem adhuc hiſtorice vel veriſimile, vel omnino certum ſit, nullis vlterius auditis rei exceptionibus. Falluntur auctores, qui vere nouum mundum creantes de

de materiis etiam grauioribus in solis tamen fictionibus historicis subsistunt, et tunc rem suam optime se gessisse putant, quando bonum aliquem hominem eo induxerunt, vt nihil fraudis subesse cogitationibus senserit, habens, quicquid illi fingunt, pro strictissime veris, et anecdotis forsitan auro quouis carioribus. Hoc artificium videtur habere falsitatis aliquid per indirectum etiam aestheticae. §. 464.

§. 588.

Nec ponenda praesertim est verisimilitudo poëtica in probabilitate, vel logica et disciplinari, vel historica et strictissime dicta illius hypotheseos, sub qua venustae cognitionis mediae obiecta, per fictionem poeticam fieri forte potuissent etiam in hoc vniuerso, quaeque noui mundi quasi basis et fundamentum est. §. 511. Nec est analogi rationis ordinario primas vniuersi caussas, elementa et stamina prima penitius examinare, dum haeret in effectis phaenomenis. Quando vero figmentum analogicum omnino talia illi ponit ob oculos, §. 516. quorum iam habet intra se quasdam anticipationes ex dudum sibi cognito mundo poetarum, §. 573. hypothesin qualemcunque, lemmatis instar, arripit, per eandem, velut notum aliquem pontem, in nouum tuum mundum *salire paratum habet, nec veretur*

Crura

Crura ponticuli, axulis stantis, irrediuiuus
Ne supinus eat, cauaque in palude recumbat.
Cat.

§. 589.

Quum genus cogitandi poeticum §. 580. non sit, nisi venusta quaedam, saltim non inelegans, exceptio, §. 585. 25. omnis eiusdem verisimilitudo in eo consistit, vt vel rationis etiam analogo pateat, esse, quae salua totius pulcritudine potuit, minima, vel certe ne pateat eidem contrarium, ne quid citra necessitatem aestheticam, §. 491-503, 565. fictum vere dici posse videatur. Primam dicere VERISIMILITVDINEM liceat POETICAM POSITIVAM, NEGATIVAM alteram.

§. 590.

Prima ergo quaestio foret in diiudicanda generis cogitationum poetici verisimilitudine, an omnino illud eligere fuerit aesthetice necessarium, an forsan etiam analogo rationis belle instructo pateat contrarium. Sic Quintilianus *historicis graecis* recte tunc obiicit *poeticam licentiam*, quoties poetice quantumcunque verisimilia suis immiscent, quoniam his per historias omnino locus non est, §. 584. Hanc verisimilitudinem, vt ita dicam, externam et respectiuam ad conditionem auctoris

et

et dignitatem operis aut totius, cui immiſcendum eſt poetice veriſimile, et diſpoſitiones praecipuorum, quibus placere velis, ſpectatorum, plerumque ſupponimus ex definitione reſtrictioris cogitandi generis, quod aliquis ſemel elegit, poſtulati inſtar, hypothetice deducendam.

§. 591.

Epopoeiam decent fabulae theologicae et heroicae, fictas fabellas genus cogitandi poeticum, et hinc peculiaris veriſimilitudo. e. c. Haec patent axiomatice. Vnde poſtulata: Epopoeus, Aeſopus e. c. eſſe qui velit, hanc quaerat veriſimilitudinem. Vlterius ipſius meditationis diiudicatio vix adſcendet aeſthetica. An auctor bene, ſapienter, et ſe ſuisque ſperandis praeſertim auditoribus conuenienter decreuerit epopoeus, Aeſopus e. c. aliquis fieri veriſimilitudinem et hinc pulcritudinem meditationis internam directo non tangit.

§. 592.

Secunda quaeſtio erit: An nouus ille mundus, in quem poeta, ſiue proſaicus ſcriptor, ſiue metricus, ſiue pictor, ſiue ſculptor, e. c. fuerit, nos introducturus eſt, ſit ex ipſius intentionibus eleganter exſequendis mundus, poſt hunc, optimus? immo an thema poſſit in eodem vere perfectius ele-

gantius-

gantiusque ſiſti iucundo cuidam vigilantium ſomnio, ac in hoc illud mundo cogitari potuiſſet? an in his ſolis momentis ad finem venuſtum facientibus mundus nouus a noſtro differat, an etiam fruſtra ponantur in eodem multa alia et diuerſa? Ouidius optimum aliquem maximum poetarum mundum deſcripturus in ſuis metamorphoſeon: tamen aliquam vult obſeruare cum hoc vniuerſo conſpirantem chronologiam:

primaque ab origine mundi
Ad ſua perpetuum deducere tempora carmen.

§. 593.

Poetice ficturus, quantum vllus vnquam poeta mentiri potuit, orditur tamen ab iſtis hiſtoriis, quas non pauci dogmatice veras omnino, pleraſque omnes veriſimiles concedant, iisque primum non niſi fictiones interſerit, quas hiſtoricarum limites transgredi vel nemo, vel certe potiſſimum attendendi eius lectores hariolari non poterant. En! tibi primum Chaos. v. 5-20.

Hanc deus et melior litem natura diremit.
Iamque ſeparantur ignis, aqua, terra, aer,

qui, quanto eſt pondere terrae
Pondus aquae leuius, tanto eſt oneroſior igni.
53.

An ergo grauitatem aeris antlia demum inue-

nit? Interim omnia fiunt, vsque ad animalia-75.

Sanctius his animal, mentisque capacius altae,
Deerat adhuc, et quod dominari in caetera posset.
Natus homo est. Siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,
Siue recens tellus

fuit, quam Prometheus

Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.
Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,
Sponte sua sine lege fidem rectumque colebat. 90.

-- -- --

Protinus irrumpit venae peioris in aeuum,
Omne nefas, fugere Pudor Verumque, Fidesque,
In quorum subiere locum Fraudesque, Dolique
Insidiaeque et Vis et Amor sceleratus habendi. 130.

-- -- --

In facinus iurasse putes. Dent ocius omnes,
Quas meruere pati, sic stat sententia, poenas, 243.

-- -- --

Est tamen humani generis iactura dolori. 246.

-- -- --

Rex superum trepidare vetat, sobolemque priori

Dissi-

Dissimilem populo promittit origine mira, 252.

— -- --

Iamque mare et tellus nullum discrimen habebant

Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto, 292.

Iamque satis sibi strictissime veri verisimilisque historici propinasse vates videtur, vt imprudentes sensim ex hoc omnino vniuerso rapti, quasi per somnium, in eum mundum deferantur, vbi homines ex saxis, ex Daphne laurus, ex Ione iuuenca, ex iuuenca Io, et si qua sunt alia,

quae speciosa dehinc miracula promit.

§. 595.

Hae quaestiones §. 590. 592. non sunt solae, nec primariae, §. 585. 588. Sit necessarium heterocosmica ponere, sit eorum non maior, ac necessaria, differentia, ab hoc vniuerso. Iam tertium quaeritur: An ex omni mundo poetarum et eius regionibus vberioribus, dignioribus, verisimilioribus, notioribus, e. c. §. 22. nouam tuam potius desumseris fictionem, quam vt in ignotas fabularum ambages, sine necessitate aesthetica, tuos induxeris hospites? An hoc contrarium perfectioni possit etiam ab analogo rationis deprehendi? §. 513, 516. Habes iteratum Horatii praeceptum:

Ex noto fictum carmen sequar.

Fictionis poetica verisimilitudo praesertim postulat, vt mundo poetarum in iis, in quibus recedit ab hoc vniuerso, sit adeo similis et consentanea, ac illud pulcritudo totius permittit, quod cogitas, §. 484.

§. 596.

Hinc necessitas studii mythologici non illius graeci romanique tantum, sed omnium temporum et locorum, quorum fama, cabbala, traditiones dare poterunt regionem mundi poetici alicui cogitanti certorum in gratiam de certo themate praesertim commendabilem, §. 594. Nec obiicias dissensus veterum in ipso hoc mundo poetarum, si chaos eius primitiuum a deriuatiuo sensim illito mundo ac decore distinguas, tecumque cogites difficultatem, in qua non ita longe tempore inter se distantes poetae quondam versabantur notum sibi reddendi vix ante se natum locupletatumue mundum poeticum, quae nunc omnis paene disparuit. Probe perpendendum est argumentum Ouidii probans, quando iam in heterocosmica mergitur altius:

Quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?
Met. I, 400.

Cui consentit illud Virgilii de nauibus in nymphas mutatis:

Prisca fides facta, sed fama perennis.

§. 597.

§. 597.

Quartum quaeritur: An poetice fingens mundi poetici vtopiam tetigerit ingressusque sit, vltra §. 456, limites, et ita quidem, vt deprehendi possit in bidentali per ipsum analogon rationis, an omnino tristes eiusmodi campos vitris fractis merorumque somniorum interpretamentis auxerit? §. 574. Multo venustius princeps Gallorum epicus vates eremitam fatidicum, fanaticismi daemonem, Ludouicum sanctum ducem Henrici magni per caelos et inferos fingit, ac si deos maiorum minorumque gentium ex vtopicis graecorum vel romanorum intermundiis reuocasset.

§. 598.

Quinta sit quaestio: An poeta non ea coniunxerit, quae seorsim quidem sic se bene satis habere, qua possibilitatem aesthetice perspiciendam, possent, sint tamen in vnum conflata incompossibilia? Hoc tribus potissimum contingere posset rationibus, 1) si regiones mundi poetici per aeternas inimicitias seiunctae confunderentur, cuius casus exemplum est, §. 515. Mundus enim poetarum habet suas insulas et peninsulas, neque vatum

Nequicquam deus abscidit
Prudens Oceano dissociabiles
Terras

Quibus interiecta *vada* non bene *transiliuntur*, 2) si mundo poetarum affingitur aliquid, quod in se nihil implicat contradictionis aestheticae, sumtae tamen iam semel mundi poetici portioni sic repugnaret, vt fieret figmentum anomalon sine necessitate, §. 520.

§. 599.

3) Si semel transgressis in heterocosmica nobis talia huius vniuersi phaenomena et ea strictissime vera denuo non opinantibus exponerentur, quibus, quoniam stare cum mundo ficto non possunt, velut expergefacti ex somnio vigilantium spontaneo cogeremur forsan subinuiti tunc, quando nondum tempus est, agnoscere ficta esse, et quidem strictius, omnia, quae, tanquam praesentia, praestigiis poetae lubenter cedentes ad aulea vsque volebamus intueri. Ob hoc vitium vitandum Aristoteles satis lepide poetam excusatione dignum iudicauit, *si facta pangat*, et strictissime vera scribat, quam tamen ipsi non concedit, nisi quando et in quantum sint verisimilia, quod hic interpretor in omni suo ambitu, vt habeant etiam verisimilitudinem poeticam, vt in nouo illo mundo, quem fingimus, aeque locum habeant, ac in hoc. Tunc enim, vt illius, non vt huius portiones spectatae spontaneum voluptatis caussa somnium temere non interrumpent.

§. 600.

§. 600.

Sextum quaeritur: An poeta mundum, praeter hunc, optimum ſuis finibus legens, §. 591, figmentum ſuum bene analogicum, §. 516, 595. conformauerit mundi poetici inter portiones inſociabiles, §. 598. illi potiſſimum parti ac regioni, quae iisdem poetae finibus eſt optima? Habent omnes paene religiones aliquam ſuam partem in mundo poetarum. Quaeuis paene rerum publicarum hiſtoria, ſi ſurgere velis in prima ditionum tempora, fictionum et incertae ſatis famae

caput inter nubila condit.

Hinc vtique peccaret in veriſimilitudinem, etiam poeticam, qui Turcae e. g. myſteria veterum aegyptiorum affingeret, et Sinenſibus Gothorum mythologias. Illi autem non peccarent, qui Chriſtiani de Chriſtiano Chriſtianorum gratia nonnihil fingentes ſemper et vbique mundum ſuperſtitionum graecorum et romanorum habitant? Miltoni mundus eſt veriſimilior.

§. 601.

Septima ſit quaeſtio: Si figmentum prorſus ignotum auſus aliquis eſt afferre, et octaua: ſi quis omnino figmentum anomalon formauerit, an vtrumque ſatis habeat internae veriſimilitudinis, qua compenſari poſſit, quicquid primo falſi ſimile talibus in fictioni-

lius videbatur, vt vltima tandem fictio correctio potius haberi possit mundi poetici, quam turpis in eodem anomalia. §. 518, 520. Nona: An fabularum sententia, §. 526, de facto verisimilitudinem dogmaticam moralem latius dictam, §. 577. de iure, simul strictius dictam habeat? §. 433, 435. An satis ex fabulae euentu pateat, velitne sententiam auctor de facto tantum, an etiam de iure veram intelligi? §. 548.

§. 602.

Phaedri l. II. f. 1. veram habet sententiam de iure, cuius exemplum est leo partem praedae praedoni denegatam innoxio viatori relinquens.

Exemplum egregium prorsus et laudabile
Verum est auiditas diues, et pauper pudor.

F. 2. sententiam de facto tantum intelligendam docet turpis viri caluities vxorii:

A foeminis vtcunque spoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis discimus.

L. III. f. 5. vero quoniam maxime pronam hanc daret sententiam: prudens aliquando fert iniurias agendo gratias et incitando in potentiorem vindicem, quae, sane, vix fuisset strictius vera moraliter sententia: fabula quidem narratur, verior autem adscribitur sententia; licet nimis generalis:

Successus ad perniciem multos deuocat.

§. 603.

§. 603.

Haec ſententiae veritas moralis primarium eſt, quod in fabularum veriſimilitudine ſit attendendum, §. 600. cui iungi tamen ſecundariae poſſunt decima quaeſtio: An fabula, quae narrationis titulo ſtrictius ornata non vltra fictiones hiſtoricas progredi debeat, incidat nihilominus in licentiam poeticam? An eadem leges fictionum hiſtoricarum affabre ſeruans poſſit in re grauiori eo vsque fallere, vt pro ſtrictiſſime vero habeatur a multis cum notabili ipſ[illegible]n detrimento? §. 527, 587. Exemplum fabulae, cui et veritas dogmatica, §. 601. deſit, et vtrumque vitium inhaereat, quod iam indicauimus, eſſe poteſt Philoſtratus in ſua de Apollonio Tyaneo fabula.

§. 604.

Vndecima quaeſtio: An fabula, poetica etiam, §. 527, ſi opus fuiſſe videatur, non potuerit aeque bene veritatem ſententiae dogmaticam exprimere ſtrictius probabilis, ac ſtrictius improbabilis? §. 532. Aequalis hic bonitas eſt aequalis totius pulcritudo, quam non ſemper obtinebunt, probabilitate hiſtorica gaudentes prae iis, in quibus veriſimilior probabilitas, licet poetica tantum, fulget. §. 533. An fabula, etiam improbabilis belle et recte, nihil tamen improbabilium contineat, niſi quot et qualia requiruntur ad illuſtrandam ſufficienter ſententiam? §. 589.

Haec videtur illa fuisse caussa, ob quam Longinus, non Iliadi, fabulae non minus poeticae, et ex meo sensu strictius etiam improbabili, sed Odysseae tamen, fabularum amorem vitio vertit, §. 311.

§. 605.

Duodecima quaestio non in eo consistet, potissimum, an fabula quaedam poetica, et fictio fabulosa, rectius rationalis sit, ac fictus aliquis apologus, atque pulcrius, praesertim hac aetate nostra, qua animalibus etiam praeter hominem aliis denuo nonnihil intellectus ac rationis veritate sic satis aesthetica tribuitur, an tandem rectius mere rationalis, quam mixta, §. 537. Haec potius sit: An fictis personis, iis etiam, quas alias bruta censemus, immo vegetabilia, suum tamen ἠθος verisimile tribuatur, quod aut ex analogia mundi poetici, aut ex insufficientibus historiae naturalis traditionibus, aut ex opinionibus eorum, quorum potissimum gratia scribimus, ipsis conueniat? §. 495.

§. 606.

In fabula Aeneidos rationali pius Aeneas ἠθος personae, quam ipsi semel imposuit poeta, sustinens ita primum prodit in scenam, L. I, 96.

Extemplo Aeneae soluuntur frigore membra,

In-

Ingemit et duplices tendens ad ſidera palmas
Talia voce refert: O! terque quaterque beati,
Quos ante ora patrum, Troiae ſub moenibus altis,
Contigit oppetere!

ita poſtremam ſcenam concludit, vt vel in hoſtem Turnum lenis eſſe inciperet, huius

infelix humero quum apparuit alto
Balteus, et notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus
Strauerat, atque humeris inimicum inſigne gerebat.
Ille oculis poſtquam ſaeui monumenta doloris
Exuuiasque hauſit, furiis accenſus et ira
Terribilis: Tune hinc ſpoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, ac poenam ſcelerato ex ſanguine ſumit.
Hoc dicens ferrum aduerſo ſub pectore condit
Feruidus: aſt illi ſoluuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.

Gemitus et frigore ſoluta membra incipientis Aeneae, finientis in hoſte ſunt, pius autem in deos, patriam, ſuos Aeneas ſibi conſtans ſemper, manet vnus et idem, §. 605.

§. 607.

§. 607.

Quaestio decima tertia: An in fabulis, quae vel huic simpliciter et per eminentiam connexae dici videantur, implicitis, §. 535. venustus ille nexus obseruatur, quo praeparantur in ipsa iam colligatione remotius, in transitu propius omnia catastrophae et solutioni ita, vt imprudentibus quidem, neque tamen non verisimilis, haec eueniat praesenti sic inserendo praeteritum, vt vel inopinatum maxime, natum tamen inde futurum appareat, eaque omnia seruent iucundam istam vnitatem, qua nihil cogitatorum deesse, postque factam solutionem nihil amplius desiderari posse videatur? §. 437, 439. Nec hic minor cura verisimilitudinis moralis, §. 604. et cuiusdam analogiae, in ipsis imponendis nominibus, §. 594.

Quod si personis iisdem vti aliis non licet,
Qui magis licet currentes seruos scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per seruum senem,
Amare, odisse, suspicari? Ter. Eun. prol.

Immo vero, non licet solum, sed et oportet saepe numero, §. 433.

§. 608.

Quaestio decima quarta: An sententia satis grandis est, vt eidem sine anthropomorphismo, qui vel analogo rationis talis esse

vi-

videatur, crasso possint exempla diuin: subsumi? an exempla diuinorum ita se gerant, vt ex iis per argumentum a minori ad maius, diuina pulcre per analogon rationis colligi possint? An in vtrisque casibus omnia vere se habeant, secundum exactum analogi rationis iudicium, θεοπρεπως. §. 435, 399. In Phaedri l. III. f. 17. primum licet quaerere, an aesopicis diuina fabulis miscere conueniat? Sed hoc mittamus. Deinde Mineruae admiranti, *quare Diui sibi steriles arbores legerent,*

Olim quas vellent esse in tutela sua,
caussam dixit Iuppiter:
Honore fructum ne videamur vendere.

Minerua oliuam propter fructum praefert, et corrigit sententiam suam, iamque sic sentit

Deorum genitor atque hominum sator:
Nisi vtile est, quod facimus, stulta est gloria.

§. 609.

Sententia dicitur dictae fabulae:

Nihil agere, quod non prosit, fabella admonet.

Iam ergo quaeritur, an declaretur exemplo ficto aliter, quam supponendo, per ipsas Jouis curas posteriores stultam fuisse gloriam; dum

Quercus Joui
Et myrthus Veneri placuit, Phoebo laurea,
Pinus Cybellae, populus celsa Herculi

et inanem colorem fuisse, grandem illam caussam et aetiologiam, quam primo adduxerat,

xerat, Iupiter, quae ſane tanta eſt, vt eam multi interpretum ne aſſequuti quidem ſint, et lectionem mutare nequicquam laborarint: ideo ſteriles noſtras facimus, relinquendo mortalibus frugiferas, ne his pro diuino nobis praeſtando cultu fructum vendere videamur. Interim ſunt tamen narratae arbores in tutela diuorum, qui memorantur, per mundum poeticum, ad hunc vsque diem. Quot ſimul obſeruantur deeſſe veriſimilitudines? §. 608. Verum vbi non detegas turpitudines eiusmodi, quam primum a vera religione receſſeris?

§. 610.

Decimum quintum quaeritur, an praeter veriſimilitudines ſibi cum aliis communes fabulis, Mileſia praeſertim amoris, nunc caeci, nunc probe perſpicacis, veritatem veriſimilitudinemque, praecipue moralem, latius dictam, vbique ſeruarit, §. 433, 495? An ſententias, quas illuſtratum it, laudabilium effata, et de facto tantum enunciantes aliquid, quod ſolet contingere illi, qui *amores*

Aut metuat dulces, aut experiatur amaros,

ſatis vel implicite per decurſum fictae narrationis et ipſum euentum, et characteres perſonarum, quae iisdem vtuntur, ceu principiis practicis, ſufficienter diſcreuerit? §. 549.

§. 611.

Sententiae fabularum Mileſiarum venuſtius

practicae,

practicae, §. 610. illae ſcilicet, quae finis vltimus et ſcopus ſunt totius operis, redeunt ad duas has generales maxime formulas, vel illam Veneris:

Nunc amet, qui nunquam amauit, quique amauit, nunc amet!

vel hanc de bene multis amoribus non minus veram, etiam aeſthetice:

Non amet, qui nondum amauit, quique amauit, non amet.

Hinc, prout paraeneticam, vel elencticam ſuam ſibi ſumſit auctor primariam ſententiam, §. 576. veriſimilitudinem moralem ſtrictius etiam dictam, §. 435. obſeruare ſancte debet, ne quid commendet, bonis moribus repugnans, ne quid diſſuadeat in exemplo docens, quod virtus ex §. 211, 214. conſiderata, vel omnino poſtulet vel certe non, niſi moroſa, reprehendat, §. 467, 470.

§. 612.

Decima ſexta claudat agmen quaeſtio: An fabula heroica, praeter veriſimilitudinem ſibi cum aliis fabulis communem, hanc ſibi propriam ſeruat ſtrenue, qua perſona herois praecipui ſemper eadem ſibi conſtet, et vna, *ανεσιν* quidem et aliquam remiſſionem aliquando paſſa, ſublimis tamen vel in eo, vt ſponte colligatur et eleuetur denuo priſtinum et eximium in decus. S. XXI. XXVI. §. 433, 538. Aeneas Cartagine videbatur ipſi Ioui *exſpectans*,

Quem

Quem nulla accendit magnarum *gloria rerum,*

Nec ſuper ipſe ſua molitur laude laborem,

tamen haud ita multo poſt adeo ſoporem ipſe denuo ſuis excuſſerat oculis, vt magnifice, neque tamen magniloquentiae crimen incurrens, hortari poſſet Aſcanium l. XII. 435:

Diſce, puer virtutem ex me verumque laborem

Fortunam ex aliis.

-- -- --

Te pater Aeneas et auunculus excitet Hector,

§. 613.

Veritatem aeſtheticam S. XXVII. probe diſtinguens a falſitate aeſthetica, S. XXVIII. venuſtius exhibens in veriſimilitudinibus, S. XXVIIII. per fictiones varias, S. XXX, et ipſas aliquando poeticas, S. XXXI. non ſine fabulis: S. XXXII. quae narrat, fingit, immo fabulari cenſetur, vbi probationibus indigent, ſi belle probat, S. XXXIII, vti ſuum vbique veritatis ſtudium, S. XXXIIII. quamcunque ſequatur veriſimilitudinis ſpeciem, S. XXXV. tunc etiam, quando fit poeta, S. XXXVI. venuſte prodit: erit ille,

Iudice me, non ſordidus auctor

Naturae verique, §. 104. Hor.